VINDICIAE VINDICIARUM KOPPIANARUM, AC PROINDE ETIAM ACTORUM...

Johann Baptist Wieland


6
4 L
1


6
34-B
6




B.2.








VINDICIÆ
VINDICIARUM KOPPIANARUM,
AC PROINDE ETIAM
ACTORUM MURENSIUM
ADVERSUS

D. P. RUSTENUM HEER
BIBLIOTHECARIUM SAN-BLASIANUM

ADORNATÆ

A. P. JOANNE BAPTISTA WIELAND

Cuicunque, nedum PARENTI defensio tribuenda.
Tacit. Annal. L. XIII.





PERMISSU SUPERIORUM.

TYPIS CASPARI JOSEPHI BALDINGERI, ANNO 1765.



Ulterius tacere diffidentiæ ſignum eſt, non modeſtiæ ratio. S. Hilar. adverſus Conſtant. Imp.





VINDICIÆ
VINDICIARUM KOPPIANARUM.

CAPUT I.

Post monitum super præsentem opellam, respondetur ad nonnulla Adversarii Capita.



DEcem abhinc anni sunt, ex quo P. Fridolinus Kopp, tunc Monachus, mox insequenti anno Abbas Murensis, & S. R. I. Princeps, *Vindicias Actorum Murensium* (monumenti Genealogiæ Habsburgicæ studiosis notissimi, quia necessarii) typis domesticis in quarto, ut vocant, edidit, ac Cl. Patris D. Marquardi Herrgott *Genealogiæ Diplomaticæ Augustæ Gentis Habsburgicæ* (1) Auctoris *Prolegomeno III.*, quòd *de Ætate & Authentia* horumce Actorum inscribitur, ac deprimendæ huic utrique destinatum est, ex adverso opposuit. Sedata jam videbatur controversia, adeo per inte-

A te-

(1) Quæ anno 1737. Viennæ Austriæ prodiit.



tegrum lustrum omnia siluêre, cum Cl. P. D. Rustenus Heer ejusdem cum P. Herrgotto Principalis Abbatiæ San-Blasianæ Monachus Capitularis ac Bibliothecarius animum ad Vindicem nostrum appulit, in opere formæ quadruplicatæ, quinque abhinc annis Friburgi Brisgoviæ vulgato, sub iconismo quidem & titulo, quos, si à cavillandi studio alienus videri voluisset, non solùm non adoptare, sed etiam devovere debuerat. Titulus ita habet: *Anonymus Murensis Denudatus, & ad locum suum restitutus.* Opus bipartitum est; pars prima primæ, altera alteri *Vindiciarum* parti opponitur, utraque simul triginta sex comprehendit Capita, in quibus non tantum pleræque nobis adversæ P. Herrgotti sententiæ defenduntur, sed plures aliæ multo minus ferendæ adstruuntur, stylo quidem per totum tam amaro, tamque inficeto, qui, attenta Vindicis nostri & eminenti dignitate, & singulari, qua in sua scriptione (fatente vel ipso Adversario) (a) usus est moderatione, cuíque probo Lectori non potest non displicere.

Tantum modo de Opere, cui (cum doctiores id laboris contra spem meam recusarent) ego usque nuper aut infirmus, aut aliis distentus, vel studiis vel negotiis, hanc qualemcunque demum oppono lucubrationem, jam amplius vix prodituram, nisi nonnullos ante menses edoctus, ab adversa parte, quem nescio, adhuc triumphum cani, vereri cœpissem, ne omnimodum silentium *signum* fieret *diffidentiæ.* Quidquid porrò Adversarius triginta sex *Capitibus* complexus est, ego ad septem revocavi, tum ob rerum cohærentiam, tum ob brevitatem, si

(a) Præf. pag. III.

ſi unquam alias, certe in litterariis ejuſmodi & identidem motis litibus ſectandam. Hac deſtinatione accepta, cum adverterem, quòd Adverſarius multa afferat, vel in majus celebret, quæ, cum vel nullius aut exigui momenti ſint, vel ad propoſitum non faciant, ſtrictim tantum attingi, aut penitus omitti poterant: rectiſſime me facturum exiſtimavi, ſi ea aut omnino præterirem, aut certe paucis expedirem; Ne forte fieret, quòd Auguſtinus alicubi (a) veretur, ut nimirum, *cum incidentes quæſtiones, & aliæ rurſum incidentibus incidentes pertractantur, atque ſolvuntur; in eam longitudinem ratiocinationis extendatur intentio, ut, niſi memoria plurimum valeat, atque vigeat, ad caput, unde agebatur*, lector *redire non poſſit.* Lectores verò hoc magis mihi ſpero fore benevolos, quo æquiores ſunt defendentis, quam laceſſentis partes. Hi, ſi quid præter intentionem meam durius incurrerint, *exiſtiment reſponſum, non dictum eſſe* (b)

Hæc præfationis loco præmittenda duxi; nunc, quoniam ita promiſi, ad nonnulla Adverſarii Capita accedo, hoc quidem ordine diſcutienda; ut paragraphum primum primo, alterum quarto & quinto opponam. Quæ enim ſecundo ac tertio objicit, cum alio ſpectent, alibi examinanda venient. Cur porrò dicta tria Capita & conjungam, & præfationi adnectam, ratio eſt, quia quaſi prolegomena, atque ab eo, unde omnis diſputatio orta eſt, ſcilicet à quæſtione *de Ætate & Authentia Actorum Murenſium* tantum, quam quæ omnino ſejuncta ſunt.

(a) De Doctrina Chriſt. L. IV. n. 39. alias c. 20.
(b) Terent. in Eum.

§ I.

1. PRimam arguendi ansam arripit Adversarius ex ipsa, quam Auctor Vindiciarum primæ Operis sui Parti præfixit, *Introductione*, quæ, quantum huc spectat, his fere verbis concepta est. *Exponens Lectori* (inquit Vindex noster (a) *totam Genealogiæ Diplomaticæ œconomiam, inter alia sic præfatur P. Herrgottus* : „ Ut Genealogiam „ Habsburgicam ex . . . Diplomatibus condere vale- „ rem, ante omnia requirebat necessitas, sedulo inve- „ stigare, . . . qualis & quanta fides danda sit Actis „ Trutpertinis & Murensibus, quæ plerosque scriptores „ in errorum devia abstraxerunt- „ *Sapienti pauca hæc præsagire queant* (pergit Noster) *quæ memoratis Actis incumbat sententia. Si plerosque illa scriptores in errorum devia abstraxisse noscuntur; vestigia terreant, necesse est, dictetque ratio ipsa, præveniendum periculo; Acta proscribenda utraque, omnemque eorum usum in Genealogia maxime Diplomatica interdicendum. Decretum id jamjam in Prolegomeno II. contra Acta Trutpertina*, illa nimirum è Bibliotheca Zvvifaltensi eruta, *Si æque inde proscripta videremus Acta Murensia, dubitare minus possemus, pari jure fidem etiam istorum tantopere labefactatam esse à Genealogo Diplomatico in Proleg. III. Quandoquidem is autem Lib. II. hac ipsa Acta Murensia in Genealogiæ suæ fundamentum plena fide assumere non vereatur; suspecta hic vel ibi nobis merito sit inconstans hypothesis.*

Ex hac scriptiuncula quis crederet tam ingentem, quod ajunt, Historiam nasci potuisse, quæ Adversario novem integras paginas implendi materiem præberet? Ab-

(a) Pag. 1.

Absit autem, ut propositi nostri jam ipso in limine immemores, singulis, quas hic seruit, Disputationibus immoremur. Unum tantummodo & præcipuum discutiendum suscipimus. Quod igitur hic maxime agit Adversarius, est, ut inconstantiam P. Herrgotto objectam, in Auctorem Vind. reijciat: eoquod iste, quamquam hic asserat, Acta Trutpertina & Murensia, si mendosa sint, aliosque in errorum devia abstraxerint, *proscribenda, omnemque eorum usum* (sic Clar.mus Rustenus, omissis scilicet hisce verbis: *In Genealogia maxime Diplomatica*, quæ sententiam restringerent) *interdicendum* esse; tamen alibi (a) contrarium plane doceat, ubi nimirum Conradi de Mure, & alterius cujusdam Anonymi poëmata Rudolpho I. Roman. Regi recens inaugurato consecrata publici juris facere non dubitat; tametsi & ipsa mendosa sint, & alios in errorum devia abstraxerint. En! quam *facilis vindicta pateat solertiæ:* Accipe nunc & singularis illius, quam in Præfatione (b) promisit, *modestiæ atque observantiæ* specimen, quòd numerus ejus IX. exhibet; ubi ostensi, quem dicta poëmata nutriant, aliosque docuerint, erroris confidentia nixus sic habet: *cum adeo mendosi, ne dicam mendaces, sint* Poetæ isti (*quod* Auctor Vindiciarum *ignorare nec poterat, nec debuerat; scimus enim, quæ sint editorum ejusmodi rerum officia*) *inconstantis eum doctrinæ . . . jure, meritoque postulamus, criminis nimirum illius, quòd hic loci, in fronte libri, atque adeo in omnium oculis P. Herrgotto satis acerbe impegit: Sed recidit in Auctorem, quod jecit in alterum. Nonne enim justo prorsus titulo inconstantis doctrinæ*

(a) Part. II. cap. X. pag. 309. (b) Pag. X.

accuſandus eſt, qui, cum id genus ſcriptores, quorum auctoritate . . . . alii decepti, in errorum devia declinârunt, proſcribendum, omnemque eorum uſum interdicendum contendit; ipſe tamen ſimiles, id eſt ejusdem farinæ orbi litterato obtrudit? Vides hic amice Lector, quanta cum acerbitate (qua de re equidem ipſe ſe jactat (a) vel duo verba vindicet Adverſarius, an ſui magis, an Vindicis noſtri oblitus neſcio; certe non ſine inſigni hujus injuria, ut jam demonſtramus.

II. Primum omnium hic intueri oportet, quæ Vindicis noſtri vera mens ſit, quæ genuina ejus ſententia. *Proſcribenda* ait (fatemur) utraque Acta Murenſia & Trutpertina, ſed unde, & quo ſenſu *proſcribenda? Inde* inquit (ſi animum ſuper ejus verba paulo ante recitata reflectere lubeat) unde P. Herrgottus Acta Trutpertina revera proſcribit, ſcilicet ex Genealogia maxime Diplomatica, ita ut in hac nullus eorum uſus ſit (1) uti mentem ſuam denuo ipſe explicat, cum per *Epexegeſim* (ut Grammatici vocant) ſive *Appoſitionem* addit: *Omnemque eorum uſum in Genealogia maxime Diplomatica interdicendum*; ubi particulam *Que* (quæ, ut Stephanus obſervat, non raro quamdam tantum præcedentium explanationem infert (b) pro *nempe*, vel *id eſt* accipit; quo modo & Virgilius ea uſus eſt, cum (c) cecinit: *Manet alta mente repôſtum judicium Paridis, ſpretæque injuria formæ*, quaſi: *Nempe ſpretæ formæ injuria*, vel: *Id eſt ſpre-*

tæ

(a) Lib. I. cap. V. § IV. pag. 37. (b) Theſaur. Ling. Lat. v. *Que*. (c) Æneid. Lib. I.

(1) Ubi verbo *proſcribo* utique recte uſus eſt: nam *quid* (quærebat olim Cicero *pro Dom. 44.*) *quid aliud eſt PROSCRIBERE, niſi velitis jubeatis; ut M. Tullius in civitate ne ſit?* ſubſtituo: *ut Acta Murenſia & Trutpertina in Genealogia ne ſint?*

ta forma injuria. Quod si Vindex noster Actorum Murensium & Trutpertinorum usum in Genealogia, in qua (ut P. Herrgottus ait) (a) quia *de prærogativis Principum agitur*, *documentis* non nisi *fide dignissimis opus est*, interdicendum vult; num ideo eorum usum in omni alia materia interdicendum contendit? Cum nulla id legitima consecutione hinc efficiatur, utique nec illud quoquo modo inde efficietur, quod memorata Acta penitus proscribenda atque omnino supprimenda censuerit, quam tamen sententiam ei affingere non veretur Adversarius. Si non censuit supprimenda, quid *inconstantiæ* admisit, sicubi mendosum quid edidit? Fingamus autem, quæ ex Vindicis nostri verbis per quam nescio *Scholasticen* elicit Clar.[mus] Herrgotti Advocatus (quippe & ipse reus, ut qui non obstante, quod Acta Trutpertina ex Genealogia proscripserit, ea tamen vulgavit) inde revera consequi: Quis credat, quod ineptam hanc sequelam viderit, ut proinde illius assertor haberi possit? Quid demum prohibet asserere, quod, cum P. Herrgottus hoc loco quasi classicum contra bina hæc Acta canat; Noster, quæ hic dicit, per *Superlationem* tantum (aptam utique tantis cominationibus figuram) consequenter non ita serio dixerit, ut tam rigorose accipienda sint? Sufficere hæc possent ad Vindicem nostrum ab omni incommodo sartum, quod ajunt, tectumque servandum: Videamus tamen, quomodo & altera accusationis pars, quod scilicet mendosum quid ediderit, subsistat.

III. Error, quem Adversarius hic prætendit, in assi-

(a) Prolegom. I. §. II.

ſignando Rudolphi I. Roman. Regis die Coronationis, quam anno 1273. peractam eſſe conſtat, commiſſus ſit. Cum enim alter Poetarum, de quibus ſupra, eam factam eſſe dicat, *quando dies Martis eſt poſt ſolemnia Lucæ*, adeoque 21. Octobris; alter vero *ſub poſteriore Luce Severini, ſub Chriſpinique priore*, conſequenter demum 24. ejusdem menſis; neceſſario, inquit, ſequatur, ut alter alteri contradicat, ac proinde alteruter eorum in errorem prolapſus ſit. Hic primus Adverſarij miſſus: ſponſionem vero noſtram interponere tuto poſſimus, ſudaturum eum diu multumque, donec hanc contradictionem nobis oſtendat.

Anno 1273., quo nimirum Coronatio, de qua hic, peracta eſt, litteram, ut vocant, Dominicalem fuiſſe A, tam certum eſt, quam quod certiſſimum. Juxta Mathematicos invenitur littera hæc Dominicalis vetus, ſi annis Chriſti 1273. addantur 5, & numerus Biſſextorum præteritorum (adeoque noſtro in caſu 318; eruuntur enim Biſſexti, ſi anni Chriſti dividantur per 4) ſumma (quæ in præſentiarum 1596. efficit) dividitur per 7, reſiduum ſubtrahitur ex 8; ſi nihil reſtat (ut hic fit) ſubtrahuntur 7. ex 8; quod remanet, indicat litteram dominicalem; atqui remanet 1: ergo anno 1273. littera Dominicalis erat A, hanc enim numerus 1. indicat. Quod ſi hoc anno littera A Dominicalis fuit: ergo littera C. tunc Feriam tertiam indicavit. Cum porrò vigeſimo quarto Octobris adſcribenda ſit littera C. (cognoſcitur enim, quota littera cuique diei adſcribi debeat, ſi dies à Calendis Januarij ad Datum uſque elapſi, quorum in præſenti caſu 297. ſunt, dividantur per 7.,

reſi-

residuo , quod hic 3. efficit , litteram quæſitam indicante) ſequitur ; 24. Octobris diem , ad quem alter Poeta memoratam Coronationem reponit , ipſiſſimum fuiſſe, primum diem *Martis poſt ſolemnia Lucæ* quem alter aſſignat ; id quod adhuc propius hac itidem à Mathematicis petita *regula* probatur. Hi , ut ſciant , in quam hebdomadæ feriam quisque anni dies ante correctionem Calendarij inciderit, rem ſic inſtituunt. Ponunt primo annos præteritos (1272.) his addunt Biſſextos (quorum , ut mox dicebam , 318. numeramus) & dies , qui à Calendis Januarij ad Datum usque fluxerunt (à Calendis Januarij autem usque ad diem 24. Octobris fluunt 297.) ex tota ſumma (ſcilicet 1887.) ſubtrahunt 1 , reliquum dividunt per 7 , quod remanet , indicat feriam quæſitam ; remanent autem hic 3 : ergo vigeſimus quartus Octobris dies an. 1273. in feriam tertiam , ſeu diem Martis , & hunc quidem primum poſt *ſolemnia Lucæ* incidebat ; quandoquidem intra ſex dies , qui à feſto S. Lucæ usque ad viceſimum quartum Octobris fluunt , eadem feria bis recurrere non poteſt.

Rationes utriusque à nobis modo allatæ regulæ Chronographicæ ſi ſcire velit, ex obvio quovis Mathematico (ut Gaſpare Schotto) (a) diſcere poterit Adverſarius. Quod ſi id laboris recuſet , ſaltem non gravabitur D. Mauri Dantine Monachi è Congregatione S. Mauri præſtantiſſimum opus , quod de *probandis notis Chronologicis* (1) inſcribitur, conſulere ; ubi cum primum didicerit (b) , A. 1273. S. Paſcha in diem 9na Aprilis incidiſſe , haud alio facto ei opus fuerit , quam ut

B Cal-

(a) Curſ. Math. L. XI. pag. 316. & 317. (1) L'Art de verifier les dates. Pariſiis. 17)0. (b) pag. 52.

Calendarium annis, quibus Pascha hoc die agitur, accomodatum inspiciat: & adverterit (a), vigesimum quartum Octobris, quo Rudolphus juxta unum Poetam coronatus est, ipsissimum fuisse *diem Martis post solemnia Lucæ*, adeoque duos hosce scriptores sibi non solum non contradicere, sed accurate etiam respondere, id quod ex Cangij quoque tabellis (b) quilibet nullo negotio confecerit. At ideo Poetæ isti ab errore necdum excusantur, inquit Adversarius, adhuc enim Historicis contradicunt; nam *Albertus Argentinensis pridie Calendas Octobris*, i. e., ultimum diem Septembris *assignat; quicum facit Chronicon Colmariense, ubi legimus: in Vigilia omnium Sanctorum Rudolfus Rex coronatur* (c). En! duplicem hallucinationem in una periodo: prima est, quod Albertus Argentinensis, & Chronicon Colmariense in unum diem conveniant: neque enim nobis persuaserit Adversarius, quod an. 1273. *Vigilia Omnium Sanctorum*, quæ alias ultimo Octobris agitur, in ultimum Septembris (quem diem Albertus assignat) inciderit, aut idem mensis & October fuerit, & September. Altera est, quod Argentinensis Coronationem hanc *pridie Calendas Octobris* peractam esse dicat: volvatur, & revolvatur centies Alberti Chronicon, & si hæc inibi inveniantur, ipse Adversario reus ero. Qui Rudolphum *pridie Calendas Octobris* (1), vel, ut alia editio

tio

(a) pag. 197. (b) In Glossario med. & infim. Latin. V. *Annus.* (c) § VII.

(1) Ita Sigonius Tom. II. pag. 1075. & Calmetus Hist. de Lorr. Tom. III. L. XXIV. edit. nov. pag. 169. col. I. legendum existimant, pro *XII. pridie Calendas Octobris*, quod editio Urstisiana præfert, & manifeste mendosum est. Fuit nuper, qui Albertum cum Conrado de Mure (qui 29. Septembris assignat) componi posse putavit, si nimirum loco X. nota numeralis I. supponeretur, & omissa vocula *pridie* legeretur, *III. Calendas Octobris.* Cl. Hanthaler in Fastis Campilil. L. I. Decad. VIII. § I. pag. 1062.

tio habet (a), demum *XII. Octobris* electum, cumque, cum eligeretur, non Francofurti, ubi Comitia erant, ſed prope Baſileam demoratum fuiſſe ſcribit, ut facit Albertus, tam à ſe alienus utique non fuerit, ut eum eadem adhuc die, vel, ſi altera editio rectius habeat, tredecim omnino diebus ante ipſam electionem Aquisgrani (quem locum Coronationi aſſignat) coronatum fuiſſe aſſereret. Quid multis? diei Coronationis Chronographus iſte ne verbo quidem meminit (b); ſed Adverſarius ſtudiosè ad hanc trahit, quæ de electione dicta ſunt. Nihil igitur hic agit auctoritas Alberti, utpote hac de re altum ſilentis. Chronicon Colmarienſe quod attinet, tantum abeſt, ut ob ejus auctoritatem poemata noſtra erroris poſtulari poſſe credamus, ut illud potius ob horum auctoritatem erroris poſtulemus; nedum ſi duo (ut Adverſarius vult) ſed etiam ſi unus, ſolusque Conradus de Mure (quod Vindici noſtro videbatur) eorum Auctor ſit. Quis enim vel moroſiſſimus Criticus huic ſcriptori, qui Turegi (hic enim majoris Eccleſiæ Canonicus & Cantor erat) conſequenter eo in loco habitabat, ubi ſolemnis iſta dies cuique tam nota eſſe debebat, quam nota cuique domus eſt

 ſua;

(a) Quam Pithœus curavit Baſileæ apud Petrum Pernam, Anno M. D. L. XIX. ubi pag. 159. legitur: *ſicque concorditer eſt electus* (Rudolphus) *anno Domini MCCLXXIII. XII. Octobris.* Utrum huic editioni magis fidendum ſit, quam Urſtiſianæ, non diſputo, ſiquidem Albertus hic erráſſe videtur, ſive hunc, ſive alterum diem electioni aſſignârit; ſcripſit enim poſt ſeptuaginta demum & ſex annos; Conradus de Mure verò, qui Feſtum S. Michaëlis aſſignat (quocum & P. Herrgottus facit) ſcripſit eo ipſo tempore, quo res contigit.

(b) De hac enim iſta tantummodo habet: *Igitur Rudolphus cum Regina, & Magnatibus illarum partium, & cum Alberto ſtrenuiſſimi Comitis de Hohenberg F. cujus habuit ſororem, quæ fuit Regina, qui venerunt Aquiſgranum pro ipſorum coronatione, egregie profecti ſunt, rebus per omnia bene geſtis*, edit. Pithœ. pag. 159.

ſua; qui Rudolphum ipſe viderat & noverat, eoque ipſo, quo res contigit, tempore ſcripſit, qui eidem Rudolpho in primis familiaris & charus erat, ut tum ex ipſo carmine, tum inde amplius colligitur, quod Guotam ejus Filiam è Baptiſmo ſuſcipere meruerit, non plus fidei tribuat, quam Dominicano alicui Colmarienſi omnibus hiſce præſidiis deſtituto? quid? Conradus iſte in poemate ipſimet Cæſari conſecrato, qua die is coronatus ſit, ſcriberet, & diem Coronationis ignoraret? at ecce novum arietem à Cl. Caleſio (a) mutuatum, teſtimonium videlicet Engelberti Archi-Epiſcopi & Electoris Colonienſis, qui ipſe Cæſari coronam impoſuit, porrò in Epiſtola ad Gregorium X. PP. diſſertis verbis ait: *eundem* Rudolphum . . . *apud Aquiſgranum* . . . *duximus, ubi in die Apoſtolorum* (utique Simonis & Judæ proximo, conſequenter 28. Octobris) *à nobis fuit* . . *in ſede magnifici Karoli coronatus.* An Epiſtola hæc Apographa (1), neque ex Authographo (ut quidem videtur) ſed itidem ex Apographo tantum, quod ipſum cujus fidei fuerit neſcitur, tranſſumpta tantam fidem mereatur, ut teſtimonium de eventu cum ubique gentium, tum maxime in Helve-

(a) Annal. Auſtriæ Tom. II. L. VII. pag. 493. in not. col. 1.

(1) Extat in Bibl. Cæſ. cod. ms. ſec. XIV. Vide Herg. Gen. dipl. T. I. p. 6. 123. 125. ubi mirari ſubit, cur Cl. Pater, qui totum codicem diligentiſſime legit, & ipſam Engelberti epiſtolam aliquoties citat, immo bonam partem recitat, diem coronationis hujus inde nullibi doceat? cur in notis ad chartam DXXXI. à Rudolpho mox altera die poſt Ss. Simonis & Judæ *datam Aquiſgrani* an. 1273., epocham ejus coronationis ſcire volentem ad *annal. Colmarienſes* remittat? cur in Monum. Auſtr. T. II. par. II. p. XXXVI. ubi, cum de nummo occaſione hujus ſolemnitatis in vulgus ſparſo agatur, res maxime ferebat, ut qua die peracta ſit, doceretur, annum duntaxat definiat? An quia Engelberti teſtimonium corruptum eſt, vel aliter habet, vel in ipſo contextu non reperitur?

vetia & imprimis apud Turicenses celebri, latum abs scriptore & coævo, & patrio, & qui ipsimet Cæsari familiaris fuit, inter fabellas numerari debeat, Eruditorum arbitrii esto, quos quidem, cum non ignorent, quam parum verosimile sit, quod scriptor talis in re tali fallat; quam contra frequentes sint Apographorum errores, pro Conrado nostro pronuntiaturos minime dubitamus. Quamcunque autem in partem inclinent, nostra nihil refert; cum Auctori Vind. inconstantia imerito objectetur, etiamsi epistola hæc plenam mereatur fidem. Ecquando enim ipsi tam *longum bona Numina nasum* dederunt, qui Wiennam usque pertingeret, ubi Engelberti testimonium tum, cum opus suum prælo comitteret, adhuc latebat? Si scire non poterat, ejusmodi testimonium extare, quia Callesii *Annales Austriæ*, quibus primum insertum est, ante *Vindicias* non prodière, qui scire poterat, Conradum hoc loco cespitâsse? Id tum ei inconscium si fuit, inconstantiæ utique accusandus non est, etiamsi revera tenuisset, (quod Adversarius ei affingit) nihil prælo committi debere, nisi quod mendo caret. Antequam hinc digrediamur, unum adhuc observare liceat: nempe Adversarius Actuarium Murensem erroris hic (a) postulat ob titulum *Comitis de Altenburg* Kanzelino Radebotonis primi Habsburgi Comitis Patri inditum; cum tamen alibi (b) ingenue fateatur, *se non videre, quo pacto is* ob hanc appellationem *erroris arguendus sit*. Possemus ergo, si luberet, *salis onus, unde venerat*, illuc remittere; & quanto majori jure tela in Auctorem Vindiciarum,

(a) § III. pag. 3. lin. 4. (b) L. I. c XXV. § III.

ut ſupra advertimus, jacta in Adverſarium reijceremus? quantum ſcilicet majus diſcrimen inter utriusque, & perſonam & cauſam eſt. Sed enim humanius hic miſſum facimus, quia alias ſatis ſuperque miſer eſt, qui alteri, & quidem tanto atque immerito tam infeliciter inſultat.

§ II.

I. ALterum ac tertium Adverſarij Capita à nobis alibi diſcuſſum iri, ſuperius jam monuimus; quare ad IV. & ſubſequens V. deſcendimus, quæ Vindicis noſtri tertio & quarto opponuntur. Agitur autem hic de prima Actorum Murenſium editione, de qua P. Herrgottus (a) ſequentia tradit: *Acta Murenſia primo typis excuſa ſunt anno MDCXVIII. . . . . Editionem curavit Peireskius* (b) *Inſcriptionem magnificam editioni præfixit, librum appellans :* „ Origines Murenſis Monaſterij . . . „ cum brevi Chronico Seculi XI, quo major ſcripto- „ rum penuria fuit". . . . ex vetuſtiſſimo codice Mu- „ renſi edita . . . Spirembergij in Bibliopolio Bruknau- „ ſenio „. *Verum ſuſpenſa hæc hedera ſpiſſo errorum pulvere conſperſa* eſt. Quorumnam errorum? per intervalla audiemus.

II. Primum omnium, quod Adverſario hic diſplicet eſt, quod Vindex noſter (antequam ſcilicet ad objecta reſpondet) dicat: *Acta Murenſia primo typis excuſa anno* 1618. *nemo ignorat* (c). Nam quam male is

(a) Proleg. III. § III. (b) Ex Eccardo in præf. ad Orig. Habs. pag. 4. & Mabillonio in Itin. germ. edit. nov. p. 4. col. 2. Eccardus autem & Mabillonius citant Gaſſendum, qui Peireskij vitam ſcripſit. (c) Part. I. c. III. pag. 20.

is ſibi hic conſulit ? *Adeat quæſo* , clamat Adverſarius (a) *Adeat du Pinios , Ceillerios , Oudinos , Mabillonios , Pezios , Ziegelbaurios* (vix reſpirare poteſtas !) *tum vero Geſneros , Morhoſios , Menckenios , Caveos , Reimannos , Struvios , Stollios , Heumannos , aliosque non paucos Hiſtoriæ litterariæ ſcriptores , & parvo negotio intelliget , quam variarum editionum , notitia utilis ac neceſſaria ſit , quamque ſibi adeo hac reprehenſione parum conſuluerit.* Quantum clamoris, quam parum lanæ?

Dixit Auctor Vindiciarum : *Acta Murenſia primo typis excuſa anno* 1618. *nemo ignorat :* ergo (infert Adverſarius) hujus editionis notitiam dari noluit. Qualis concluſio ? quæ enim tam neceſſaria inter illud *antecedens* & hoc *conſequens* connexio , ut qui illud affirmat , & hoc affirmare videatur? Adverſarius utique non ignoraverit , quod omnibus notum , nimirum cum ejusmodi loquendi modis (*ſcimus , nemo ignorat*) utimur , nihil aliud indicare nos velle , quam hanc illamve narrationem veram , indubiam , certam eſſe : quo modo Flaccus (b), cum ſibi ipſe objeciſſet , Pictoribus atque Poetis quidlibet audendi ſemper æquam eſſe poteſtatem , ſibi ipſe reſpondet : *Scimus* (id eſt , *non diffitemur* , vel ſimile) *& hanc veniam petimuſque damuſque viciſſim.* Et vero , cui unquam incidit , quod , ſi quid pervulgatum eſſe dicimus , de eo ſermonem haberi prohibeamus ? Credat Judæus Apella , Vindicem noſtrum , cum illud diceret , hoc nedum intendiſſe , ſed vel cogitâſſe. Tantum is utique non juvenabatur , ut P. Herrgottum tam ineptâ objectatione peteret. Et cur factum noluiſſet , quod fieri

(a) C. IV. §. II. pag. 27. (b) In Arte Poet. 9.

fieri etiam optare debuerat? clarius loquor: cur Actorum Murensium Vindex ægre tulisset illius horum editionis notitiam, quæ tantum ipsis honorem fecit, sive personam, quæ editionem curavit, sive locum, ubi hæc facta est, sive Eruditorum plausus, quos excitavit, attendamus. Quid demum, si datam à P. Herrgotto notitiam revera inutilem censuisset, quia eam præter ipsam editionem etiam Mabillonius (a), & hic quidem iterato vulgatus, deinde Calmetus (b), & ipse bis editus, demum Eccardus (c), Gassendus (d) aliique dederunt, ut adeoque res ista nemini ignota esse possit: num ideo Eruditos contravenit, quorum ratio ejusmodi notitias exigendi hic utique cessat? sed mittamus ista, atque ad alia divertamus.

III. Primus error, quem P. Hergottus in inscriptione Peireskiana de- & reprehendit, est, quod *Auctor Chronici Murensis seculo XI. scripsisse* ibi dicatur, id quod *falsum* sit. Respondet Auctor Vindiciarum, falsum utique esse, quod Actuarius noster jam seculo XI. scripserit; sed pariter magisque falsum, quod seculo XI. scripsisse à Peireskio dicatur. *Aliud est*, pergit noster, *Chronicon seculi XI. scribere*, *aliud seculo XI. scribere: illud Peireskius affirmat, hoc nunquam.* Quid ad hæc Adversarius? accipit distinctionem, nec invitus largitur, hæc Peireskij verba: *Origines Monrii Murensis cum Chronico seculi XI.* si sola starent, non plus innuere, quam quod Actorum Murensium Auctor res seculi XI. scripserit: quia vero additur: *quo major scriptorum penuria fuit*; quilibet *prudens,*

(a) In Itin. Germ. edit. vet. p. 24. nov. p. 4 col. 2. (b) Histoire de Lorraine Tom. I. Edit. vet. col. CXXX. nov. CXCVIII. (c) Præf. ad Orig. Habsb. pag. 4. (d) In vita Peireskij.

dens, inquit, rem ita concipit, ut Chronographum nostrum ipso etiam seculo XI. scripsisse judicet; quippe cum scriptor seculo vivens duodecimo scriptorum præcedentis seculi penuriam supplere non possit. En ad litteram comprobatum, quod non nemo vir doctus ait: nimirum, cum de nostris opinionibus agitur, tantum abesse, ut eas damnemus unquam, ut etiam, cum vanissimæ sunt, *optimas illas tamen, atque evidentes putemus, nec nisi temere & IMPRUDENTER* cæteros ab iis diffidere posse credamus: *quæ enim volumus* (inquit Cæsar) (a) *credimus libenter, & quæ sentimus ipsi, reliquos sentire speramus.* Quæso autem! ut mittat fabam albam sperare meritus. Quinam enim prudentes illi, qui cum ipso faciant? utique qui semper amplius inferunt, atque præmittitur, quod ipse, ut sæpe alias, ita & isthic facit. Dicamus Fabium Pictorem scripsisse res Romanas primorum quinque Urbis seculorum, quibus ingens erat Scriptorum penuria; num, quod natura homini negat, verba nostra ei tribuent? aut prudenti cuiquam dicere videbimur, Fabium omnibus illis quinque seculis vixisse? minime gentium; ergo à pari, si dicamus Anonymum Murensem scripsisse Chronicon seculi XI., quo magna erat scriptorum penuria, *vi verborum* (quippe quæ prorsus eadem sunt) non innuimus, quod ipso etiam hoc seculo vixerit. Et quæso! quis sibi persuadeat, Peireskium (quem virum nemo ignorát) tam' à se alienum fuisse, ut in libelli titulo Scriptorem nostrum hominem constitueret seculi XI., quem statim in quarta mox subsequæ

(a) De bello Gall. L. II.

præfationis linea paullo post obitum Alberti Comitis circa seculi XII. annum quadragesimum secundum scripsisse asserit, & probat? adeone sui immemor hic fuerit vir alias sagacissimus, ut tantum non eadem in pagina sibi contradiceret? id equidem obfirmate tenet Adversarius: verum enim vero quæ contradictio in hisce verbis: Anonymus Murensis confecit *Chronicon Seculi XI., quo major Scriptorum penuria fuit; scripsit autem paullo post obitum Alberti Comitis circa annum plus minus* 1142.? puto, neque si Euclidem Megarensem, totamque ejus familiam ex orco in auxilium evocaret Adversarius, hinc contradictionem extundere ipsum posse. Incredibile ipsi videbatur (ut Capite sequenti audiemus) quod Cl. P. Herrgottus Necrologium Monasterij Wettingensis ad Seculum XII. reposuerit; quia (en causam ex hyperboreis accersitam) inter nongentas quinquaginta chartas quamdam alicubi producit, unde colligere liceat, ipsumet hoc Monasterium demum seculo XIII. fundatum esse: & persuadere sibi possit, quod Peireskius Actuarium Murensem seculo XI. asseruerit, quem ipsum tantum non eodem in loco diserte ad XII. reponit?

Sed quid multis opus est, quando ipse Adversarius in nostram sententiam concedit? *Recte*, inquit (a), *dixisset Peireskius*: „ Origines Murenses cum Chronico se-„ culi XI. quo major *Chronicorum* penuria fuit „; *non item* „ quo major *Scriptorum* penuria fuit „. Ridicula di-

(a) C. V. §. II.

diſtinctio ! nam cum perinde ſit Chronicorum an Chronographorum penuriam queraris, ſiquidem ubi illa eſt, ibi & hanc eſſe oporteat; ſequitur, ut, ſi ex priori propoſitione non efficiatur, Acta Murenſia jamjam ſec. XI. ſcripta eſſe, id neque ex poſteriori inferri poſſit. Adhæc ſi verba illa: *quo major Chronicorum penuria fuit, Chronicon* ſeculo XII. ſcriptum, ad XI. evehere non poſſunt; ergo neque hæc: *quo major Scriptorum penuria fuit, Scriptorem,* qui ſeculo XII. ſcripſit, ad XI. ſuſtollere valebunt.

Sed hæc hactenus pro tuendo celebri illo Galliarum Polyhiſtore, generisque humani delicio (1), quem vivum Eruditi adorârunt, mortuum univerſi luxerunt.

IV. Alterum ac tertium ſpiſſos errores, quibus inſcriptio Peireskiana conſperſa ſit, ſic enumerat P. Herrgottus: *Codicem chartaceum*, inquit, *vetuſtiſſimum deprædicare non oportebat; adhac Acta illa non Spirembergij, ſed Pariſiis excuſa eſſe conſtat.* An Codex ſeculi XIII., qualis noſter tam P. Herrgotto, quam Auctori Vindiciarum eſt, à Peireskio vetuſtiſſimus deprædicari potuerit, an non, quæſtio eſt de nomine, quam Lectorum arbitrio relinquimus. Ad alterum accuſationis caput reſpondet Vindex, parum importare, quocunque loco Acta Murenſia dicantur impreſſa, niſi quod *magnifica*

(1) Priori Titulo ab Eccardo in præf. ad Orig. Habsb. donatur; alterum ei addidit Jo. Jacob Bouchard Academiæ Humoriſtarum Romæ ſocius in volumine carminum & orationum, quas poſt ejus mortem tam dicta Academia, quam Eruditi Orbis propemodum univerſi in varijs & plus quam 40. linguis concinnârunt. Volumen inſcibitur: *Panglossia, ſive Luſſus generis humani in funere delicij ſui.*

inſcriptionis ſplendor creſceret, ſi Pariſiis edita ſcriberentur. At quam male denuo ſibi hic conſuluit? male, peſſime. *Non enim video*, inquit Adverſarius, (a) *ut qui tantis verborum phaleris, atque ſumma cum obſervantiæ ac ſubmiſſionis ſignificatione opus ſuum Auguſtæ Gentis Habsburgicæ progenitoribus, tum & ſummis orbis moderatoribus Impp. Augg. nec non amori & deliciis generis humani Joſepho Porphyrogenito ſacrum eſſe voluit, in votis habere queat, ut cliens ſuus Pariſiis potius, quam Viennæ prodiiſſet. Sane ſplendor ille tantis exoptatus votis, hic potius, quam illic accreviſſet.* Adhuc in tempore venit fanatica iſthæc & plebeja objectatio, ut quæ ſi uno anno ſerius excluſa, novo titulo inepta fuiſſet. Loquitur hic Vindex noſter de prima Actorum Murenſium editione, quæ, cum Pariſiis facta ſit; Spirembergij facta ſcribitur. Nihil hoc importat, inquit; quocunque enim loco, hoc an illo, an alio Acta hæc edita dicantur, perinde eſt; niſi quod *magnifica* (ut P. Herrgottus vocat) *inſcriptio* Peireskiana & hinc aliquid ſplendoris acciperet; ſi ut Pariſiis edita ſunt, ita ibi edita eſſe etiam dicerentur; quippe quod locus longe nobilior ſit, quam Spirembergium, locus vel obſcurus, vel nullus. Hæc vera ac genuina Vindicis noſtri mens cum ſit; quis, inferat, eum in votis & quidem tantis habuiſſe, ut *Cliens ſuus* (Acta Murenſia) *Pariſiis potius quam Wiennæ prodiiſſet*, aut prodiiſſe ſcriberetur? concluſionem hanc ex ejus verbis nulla violentia extorquere poſſit candidus lector. Utique enim ideo, quod editionem Peireskianam ſplendidiorem fore

re

(a) C. IV. § VII.

re dixit, si ut Parisiis facta est, ita ibi facta esse etiam scriberetur, non negavit, si Wiennæ facta esset, aut facta scriberetur, & hinc amplius splendoris accepturam, quam nunc, cum Spirembergii (loco nullo) facta scribitur, habet. At Adversarius semper amplius infert, quam fuerat præmissum, semper Adversariis suis, quas ne quidem somniârunt, sententias affingit, & (ut phrasi Augustiniana utar) (a) *fingit eos dicere, quod non dicunt, concludere sicut non concludunt, concedere, quod non concedunt, & concludit sibi ipse, quod renuunt* : quod, quo animo, quo fine jam quarto adhuc fiat, obscurum equidem non est. Sed satis de his, quæ vel retulisse refutâsse fuerat.

V. Unum adhuc breviter inspicere liceat : ægre scilicet fert Adversarius, quod errores in Actorum Murensium editione Herrgottiana comissi, P. Herrgotto aut ejus Sodalibus tribuantur : cum, inquit (b), *neuter eorum jure redargui* possit, *sed culpa omnis NB. omnis, si qua est, in exscriptores, quibus id negotij Wiennæ noviter datum est, reijci debeat.*

Verum quod hic prædicat Adversarius, mera est fictio, ex nimio in suos studio profecta. Ut enim ex plurimis erroribus, quos ab ipsismet editoribus profectos esse necesse est, unum afferam, in quem hoc ipso Capite, ad quod Adversarius hic respicit, etiam Auctor Vindiciarum animadvertit, quique in hoc Actuarii loco comissus est : *accersierunt* (c) *autem Monachi quendam Presbi-*

(a) Ad Jul. l. 3. c. 7. (b) c. IV. § VIII. (c) Edit Mur. pag. 13.



biterum, . . . & secum tenuerunt, . . . & ille nunquam ausus est Clericos in locum inducere, vel KL. i e. Kalendas *illorum observare* (hoc enim modo abbreviata ista vox in Actorum decursu sæpissime recurrit) *Kalendas* inquam, ubi (ut Cangius in hunc ipsum locum observat (a), hoc vocabulum conventus quosdam Presbyterorum significat, qui à variis veteris illius ævi Scriptoribus, & Consiliis *Calendæ* vocantur, quia primo quoque mensis die celebrari consueverant, eo nimirum fine, *ut* Presbyteri *de suo ministerio, & religiosa conversatione, atque de his, quæ in eorum Parochiis accidunt, sermonem haberent* (b): Hic tu mihi dic, quis pro *Kalendas* substituit *Clericas*, & glossema addidit: *non Calendos* vel *Calendas, ut vulgata* (scilicet Peireskii & Eccardi editio) *habet, sed Clericas, subintellige observantias vel consuetudines?* num & hunc errorem exscriptores Wiennenses comiserunt?

(a) In Glossar. ad V. *Kalendæ.* (b) Riculfus Suession. in constitut. cap. 20. instituti hujus causam prodit etiam Consilium Nannetense circa A. 1127. can. 15. & Hincmarus in Capitulis ann. 12. Episcopatus editis c. 1. scilicet, *ut collationem de pœnitentibus suis haberent* (Presbyteri) *& qualiter unusquisque pœnitentiam suam faceret, vel si forte aliquis contra parem suum discordiam haberet, ei reconciliaretur.*



CAPUT II.

Inquiritur in vim argumentorum tam pro recentiori, quam pro remotiori Actorum Murensium ætate.

ANonymum Actorum Murensium scriptorem à Cl. P. Herrgotto ad medium circiter Seculi decimi tertij, contra vero ab Auctore Vind. ad medium duodecimi repositum esse, jam nemo forsan ignorat, postquam uterque sententiæ suæ rationes cum orbe litterato comunicavit. Illum male, hunc recte judicasse, eo minus modo dubium est, quod ipse Rustenus jam ab hoc stet, ab illo discedat. Id unum ergo hic in quæstionem venit, num Auctor Vind. tam in refellenda Herrgottiana, quam statuminanda propria sententia adeo male versatus sit, vel quod eodem recidit, num argumenta P. Herrgotti, ita solida, Vindicis vero nostri ita proletaria sint, ac Adversarius (res mira !) adhucdum prætendit. Materiam, quam ipse quinque omnino Capitibus (1), nempe à pagina 37. usque ad 87. prosequitur, in duos Paragraphos ita dispescendam duximus, ut primum P. Herrgotti, deinde Auctoris Vind. seu quod idem est, illa primum argumenta, quæ pro recentiori, tum altera, quæ pro remotiori Actorum ætate militant, singula singulis numeris discutiamus.

§ I.

1. REcentiorem Actuarii Murensis ætatem, & hanc quidem medio Seculo XIII. haud superiorem evincere volens P. Herrgottus, illud sibi imprimis favere existi-

(1) VI. & seq. usque ad XI.

ſtimavit, quod codex Actorum *non in membrana, ſed charta tantum uſuali papyracea deſcriptus ſit : jam vero inter Eruditos conveniat, chartæ lineæ uſum vix ante Secul. XIV. invaluiſſe* (a)

Ad hocce argumentum reſpondet Auct. Vind., valde adhuc incertum eſſe, quonam tempore chartæ lineæ uſus cœperit (ſi tamen hæc quæſtio ex Eruditorum placitis decidenda videatur) eoquod inter eos ita, ut prætenditur, nequaquam conveniat. Patére id (b) tum ex ipſo, quem P. Herrgottus pro ſe excitat Godefrido Beſſelio Gottvvicenſis in Auſtria Monaſterij Abbate, ut qui non modo diſerte teſtetur (c), chartam lineam à nonnullis plane ad XI. à quibusdam ad XII. ſeculum referri, ſed ipſe etiam titubare videatur, tum ex Mabillonio (d), qui chartæ hujusmodi *uſum ab annis amplius quingentis* (id eſt per reſpectum ad ejus ætatem ſecul. XII. minimum medio) *invaluiſſe* affirmet, atque inſuper ſententiæ ſuæ fautorem Hadrianum Valeſium, quondam Regis Chriſtianiſſimi Hiſtoriographum laudet. Mabillonio jam alterum Reipublicæ Litterariæ decus addimus, ſcilicet Bernardum Monte-Falconium, ut qui in peculiari Diſſertatione ſuper papyro (e) habita, in eandem ſententiam concedit. Quid? (ut paucis multa complectamur) quid? quod teſtantibus Duum-viris Anony-

(a) Proleg. III. § V. (b) Cap. V. pag. 29. (c) Prodr. Chron. Gottw. part. I. l. I. cap. I. pag. 13. *de charta linea aliqua remanet quæſtio, quando nimirum ejusdem uſus cœperit, quem nonnulli plane ad XI. quidam ad XII. ſeculum referunt, non obſervata (ut credimus) differentia inter chartam Bombycinam & lineam. Arbitramur proinde vix ante ſecul. XIV. uſum chartæ lineæ invaluiſſe, quamvis etiam reliqua Mabillonij in hiſce alias ſat perſpicacis teſtimonia reijcere nolimus.* (d) De re Diplom. l. I. cap. VIII. (e) Pariſiis coram Duce d'Antin, Abbate Bignon, & conventu Academico Inſcriptionum, atque Amoen. lit. Ann. 1719. 14. Apr.

nymis è Congregatione S. Mauri, qui novum de re Diplomatica tractatum edunt, etiam *maxima Eruditorum pars* cum modo citatis faciant (a) teneantque, *chartam lineam apud nos* (1) *ante annos amplius sexcentos inventam, fabricatam*, adde, & in usum (2) deductam fuisse? En igitur ut Eruditi in P. Herrgotti sententiam conveniant, & si ab auctoritate hic argumentari liceat (quod utrum ab eo recte fiat, equidem non disputo) quam res in incerto maneat, & adhuc *sub judice lis sit*, quonam tempore chartæ lineæ usus cœperit. Nam quid ad hæc Adversarius? Maffeius (inquit) (b) Godefridus, & ipsi mox laudati duo Anonymi è Congregatione S. Mauri longe aliter sentiunt. Esto vera prædicet: quam affert rationem, quæ istorum potius, quam priorum auctoritati deferre nos cogat? *Quod nemo* (inquit) (c) *adhuc fuerit, qui chartam lineam vertente Seculo XIII. superiorem viderit.* Attamen inter Mabillonij manus versabantur (d) Joinvellei ad Ludovicum IX. litteræ in hujusmodi charta scriptæ, tam audacter, atque expedite ad hujus seculi finem utique non reijciendæ, cum S. Ludovicus regnum suum jam A. 1226. adeoque vix non ineunte sec. XIII. sit auspicatus. Deinde etiam Cl. Pestellus Universitatis Rinteliensis Professor instrumentum quoddam chartaceum possidet (e) sigillo adhuc bene munitum, datum An. 1239. ab Adolpho Comite

D Schaum-

(a) Traité nouveau de Diplomatique P. II. sect. I. cap. VIII. pag. 521. (b) Sparsim per caput. VI. (c) Ibidem n. VI. pag. 41. (d) Loco citato. (e) Journ. étrang. 1756. pag. 40.

(1) *Apud nos*, inquiunt, quia, si P. du Halde fidem habemus, apud Sinenses jamjam finiente seculo Christi primo, scilicet anno 95. fabricari cœpit. (2) Omnes enim nituntur testimonio Petri Venerab. quod mox allegabimus, & utique non solum de inventione, sed ipso etiam usu intelligendum est.



Schaumburgenſi, & nuper admodum ab Academia Gœttingana pro authentico agnitum. Altius aſcendimus: Teſtatur enim P. Harduinus (a), ſe vidiſſe nonnulla id genus chartacea monumenta etiam anteriora ſeculo XIII. His omnibus accedit, quod Petrus Ven. Cluniacenſium Abbas, & ſcriptor medii ſeculi XII. (b) in tractatu contra Judæos (c) diſerte teſtetur, libros ſuo tempore lectos, qui *ex raſuris veterum pannorum compacti* erant, *quod* (ſubdit Mabillonius) (d) *ſine dubio de linea charta intelligendum eſt.* Non ego quidem is ſum, qui (ut cum Tullio (e) loquar) *quidquid videtur, tale dicam eſſe, quale videtur*, atque adeo capitis pignore cum Maffeio (f) haud dubie ab Adverſario in auxilium hic invocando contendam, monumenta chartacea Harduino viſa, linea, non bombycina eſſe: ſed enim, ſi falli poterat Harduinus, num ideo revera etiam falſum fuiſſe credamus? Quod teſtimonium Petri Venerabilis attinet, Adverſario (g) pariter concedimus, neceſſarium non eſſe, ut illud de charta linea interpretemur; ſiquidem & bombycina ex detritis panniculis fiat: ſed unde oſtendit, hocce teſtimonium de charta linea accipi non ſolum non *debere*, ſed *nec poſſe*, id quod ſolum rem extra dubium poneret? Nempe antiquam affert rationem, quod nulla exiſtat charta linea ſeculo XIII. anterior: verum hanc tanti non facimus, ut propter eam in ipſius ſententiam concedere neceſſe habeamus.

(a) Vide Traité nouveau de Diplom loco cit. (b) Præfuit enim ab A. 1122. usque ad A. 1157. Bibl Clun col 589 & 601. (c) Ibidem p. 1070. (d) Loco cit. n. 16. (e) L. IV. qq. Academ. cap. 7. (f) *Non veretur Marchio noſter* (inquiunt loco cit. pag. 522. memorati Anonymi Benedictini) *aſſerere, quod* Harduinus *chartam bombycinam pro linea habuerit.* (g) Hic §. V. pag. 40.

imus. Ex dictis de Joinvellei epistola, vel certe de instrumento Adolphi patet, chartam lineam jam pridem ante seculi XIII. finem, si nondum passim & frequenter (quia nimirum alia materia scribendo aptior tunc obtinuerat, vel hæc nimium fragilis videbatur) saltem aliquoties usurpatam fuisse. Quidni igitur fieri potuit, ut hæc jam quidem seculo XII. aliquali usui esse cœperit, sed pauca ejusmodi monumenta comuni cum innumeris aliis rebus forte interierint? Ni forte in Tabulariis adhucdum cum tineis blattisque luctentur, eadem forte fortuna in apricum aliquando proditura, qua memorata charta Adolphi nuper admodum prodiit. Patet ergo, quod Adversarius, sive ab auctoritate, sive à ratione argumentetur, non conficiat, ut non plurimum dubium sit, an chartæ lineæ usus sec. XII., an subsequenti XIII. cœperit. Quod si res dubia sit, recte utique ab Auct. Vind. infertur, *ex charta papyracea solidum argumentum duci non posse*. Sed hæc ex abundanti adduxi; nam genuinum ad hocce P. Herrgotti argumentum responsio hæc est: ad Actuarii nostri ætatem nihil facere, quocunque seculo chartæ nostræ hodiernæ usus invaluerit, cum codex, in quo Acta exarata sunt, duntaxat Apographus sit, ut ex dicendis patebit, imo jam ipse Adversarius admittit. At Herrgottus hoc loco de codicis non de Auctoris ætate disputavit; *infertur igitur hic plus in conclusione, quam fuerat præmissum* (a). Ita equidem censet Adversarius; sed isthæc objectatio egregie refellitur ex ipso P. Herrgotto, qui Prolegomenon suum hisce demum verbis concludit (b):

(a) Hoc cap. pag. 44. n. XII. (b) Proleg. III. § XXV.

ex hactenus dictis clare (*ni fallor*) *liquet, scriptorem* (i. e. ut mox ipse subdit) *Auctorem Murensium Actorum Seculo primum XIII. floruisse.* Nam quæ illa *hactenus dicta*, nisi quæ superius de charta linea ? Quandoquidem in margine lectores suos diserte monet ; ut, si probata scire vellent, quæ hic concludit, *ea repeterent, quæ paragrapho quinto* de charta linea dixerit. Viderit ergo P. Rustenus, ne ictus, quem Vindici nostro impingere hic cogitabat, vitiosæ nimirum illationis opprobrium, sumet clientem feriat.

II. Alterum argumentum, quo recentior Actuarij nostri ætas probetur, desumit P. Herrgottus ex forma litterarum in codice contentarum : *qua in re* (a) *illud præprimis notat, litteram i accentu acuto superius notari, qui characterismus sit Seculi XIII., vel subsequentis XIV.*, ut sæpe laudatus Godefridus Bessclius testetur, cum (b) ait : *Singularis hujus Seculi* (*XIII.*) *nota characteristica est, litteram i accentu quodam acuto superius notari cœpisse, licet aliquot jamdum exempla in Seculo XI. attulerimus.* Hucusque alterum P. Herrgotti argumentum : Nunc quid Vindex noster desuper respondeat, audiamus. *Quæ* (igitur inquit) (c) *argumento huic opponamus, subministraret equidem non tantum antefatus* Godefridus, qui notæ characteristicæ seculi XIII. aliquot jamdum exempla in seculo XI. affert ; *sed ipse etiam P. Herrgottus* : primo cum instrumentum quoddam de seculi XII. anno 86. producit (d), in quo pariter litteram *í* accentu quo-

(a) Cit. proleg. § VI. (b) Cit. Prodrom. Chron. Gottwicens. part. I. L. I. cap. 6. (c) Cap. VI. pag. 33. (d) Geneal. Diplom. Tom. I. L. II. cap. X. pag. 157.

quodam acuto ſuperius notari videas ; deinde cum excerpta ex Necrologio Wettingenſi affert ſub hac prænotione (a) : *primigenia ſcriptura eſt Seculi XII.* ; cum tamen Monaſterium iſtud Wettingenſe Ord. Ciſtercienſis demum (b) ſeculo XIII. fundatum eſſe conſtet. Enim vero quis hinc non inferat, *fallacem eſſe characteriſmum, nec eundem ſemper, & ubique uni Seculo ita proprium, quin ejus uſus jam ævo ſuperiori invaluerit ? Verum* (pergit noſter) *nolimus nos codicem Actorum ſupra ætatem leg...mam extolli ; quin potius . . . . fatemur, ejus ſcripturam Seculum XIII. præſeferre ; quippe quem certis modo dicti Seculi notis characteriſticis inſignitum negare non poſſumus.*

Ingentem hic (c) farraginem ex adverſo opponit Adverſarius : ac primo quidem per tres integros Paragraphos (d) non minus fuſe, quam acerbe querulatur, quod Auctor Vind., ut præſens P. Herrgotti argumentum refelleret, tantummodo accentum litteræ *i* impugnandum ſuſceperit, cum tamen iſte, ut recentiorem Actuarii noſtri ætatem evinceret, non ſolum ad hanc, ſed ad reliquarum etiam litterarum figuram provocârit. Verum enim vero, ut nihil dicam de modo, quo ob hanc cauſam in Vindicem noſtrum debacchatur ; ſi oculos ad dicta de Necrologio Wettingenſi reflectamus, quis non luce Meridiana clarius videt, quam immerito iſthic vapulet ? eſtne hoc ſolummodo litteram *i* impugnare, cum P. Herrgotto objicitur, quod codicem ſeculi minimum decimi tertii ad duodecimum retulerit ; hinc porrò

D 3

(a) Ib. Tom. II. n. CMLI. pag. 842. (b) Idea Chrono-Topograph. Congreg. Ciſterc. per ſuper. Germ. pag 91. (c) L. I. I. cap. VII. (d) Nempe IV. V. & IX.

porrò argui posse creditur, fallax esse criterium de veterum monumentorum ætate ex sola litterarum forma judicandi? Sed hæc prævie: nunc quid Adversarius ad singula Vindicis nostri argumenta reponat, audire juvat.

Atque ut à primo ordiamur, quod isti, ut paullo ante dicebam, ipse Abbas Godefridus subministrat, cum ait: *Singularis hujus Seculi nota characteristica est, litteram í accentu quodam acuto superius notari cœpisse, licet aliquot jamdum exempla in Seculo XI. attulerimus*: ut inquam ab hoc argumento ordiamur; en prorsus mirum Adversarij super eo responsum! Nam quis non miretur, quod, cum Rev. Abbas notæ characteristicæ seculi XIII. aliquot jamdum exempla in seculo XI. se attulisse dicat, *de accentu generatim sumpto* (a), *non de accentu litteræ í* locutus fuisse dicatur? At ita interpretandus erat, inquit Adversarius, quia, ubi de notis characteristicis *Seculi XI. agit* (b), *hæc solummodo de accentibus habet* (c): „ Interpunctiones frequentes sunt, & vel per puncta sola, vel cum aliquo accentu acuto denotantur.„ Quis candidus fucum hic non agnoscat Lector? Enimvero contendere, quod Godefridus notas characteristicas seculi XI. recensens, de accentu acuto, tantum ut interpunctionibus, non item ut litteræ *í* addi solebat, locutus fuerit; cum tamen is nedum eodem Capite, sed eadem, quam Adversarius citat, pagina, scilicet 51. diserte dicat: *neque prætereundum est*, in monumentis seculi XI. *complura vocabula in duplicata littera í finali binis accentibus acutis more Seculi XIII. notari, ut in vocibus*

(a) § VII. (b) Ibidem. (c) Citat. Chron. Gottwic. L. I. c. V. § III. p. 51.

bus filii, Februarii, Martyrii; quid aliud hoc eſt, quam Adverſarii ſui argumentum eludere?

Atqui hoc modo Godefridus ſibi ipſe contradicet, inquit Adverſarius: nam ſi littera *í* accentu acuto notata jam ſeculo XI invaluiſſet, fruſtra ſanè pro charaćteriſmo ſeculi XIII. denuo ab ipſo venditaretur. Hanc objećtationem nos, quibus ſufficit exempla litteræ *í* jamjam ſeculo XI. accentu notatæ ex Godefrido afferre potuiſſe, refellere non habemus; ſed forte nec opus fuerit, ut quis apud Eruditos multis id agat. Nemo enim, qui æquo eſt animo, non pervidet, quod, tametſi Rev. Abbas verbo inchoativo *cœpi* utatur, dicens: *Singularis hujus ſeculi nota charaćteriſtica eſt, litteram í accentu quodam acuto ſuperius notari cœpiſſe*, nihilominus de frequentiori tantum hujus notæ charaćteriſticæ uſu loquatur, quippe à ſe utique non tam alienus, ut, cum uno eodemque halitu moneat, hujuſce uſus exempla aliqua jamdum in ſeculo XI. à ſe allata fuiſſe, prima ejus initia ad XIII. referret. Hoc modo etiam Mabillonius *minuta littera í accentum acutum ſeculo XIII. ſuperimponi cœpiſſe* (a) ait; quamvis alibi (b) hujus ſic notatæ litteræ tam ſolitariæ, quam duplicatæ exempla è ſeculis præcedentibus afferat. Atque ſic variarum rerum, nominumque initia ad certum quoddam tempus referimus, quod, utut tempore anteriori aliquoties fuerint uſurpata, necdum tamen invaluerint. Quidquid ſit, certum eſt, Aućtorem Vind., ut uſum litteram *í*, ſaltem cum duplex eſt,

(a) De re Diplom. L. I. cap. XI § XIX. (b) Ibidem L. V. pag. 368. n. 4. & pag. 428.

eſt, accentu notandi ultra ſeculum XIII. referret, recte ad Godefridum provocâſſe: nunc ad alia progrediamur.

Alterum Vindicis noſtri argumentum, ut ſupra dictum, verſatur circa privilegium quoddam de ſeculi XII. anno 86.; utpote in quo pariter plus ſimplici vice litteram *í* etiam ſolitariam accentu quodam acuto notatam videre ſit. Jam quidem paullo propius nobis accedit Adverſarius, cum vi hujus argumenti adactus modo dictum accentum ſaltem ſub finem ſeculi XII. obtinuiſſe concedit (a) Eccur quæſo autem nondum altius aſcendit? numquid uſus iſte litteram *í* accentu notandi ab hoc diplomate primum cœpit? At ego faciam, ut præter jam allata vetuſtiora exempla, plurima id genus alia habeat, & bonam quidem partem inde habeat, unde ea ipſe & providere, & præſagire, imo partim referre jam debuerat. Neque enim exiſtimo, quod qui multoties jam laudatos Duumviros Anonymos è Congr. S. Mauri tam ſtudioſe legit, tam ſæpe excitat, maxime ubi adverſum nos facere videbantur, eos ſuper præſentem materiam non conſuluerit, neque in illum locum inciderit, ubi, cum dixiſſent, quod Mabillonius accentum litteræ *í non multum ſupra ſeculum XIII. reponat*, hæc notatu digna ſubjungunt (b): *Haud dubie huic tanti ponderis effato fretus P. Hergottus adeo fidenter huic ſeculi XIII. indicio inſiſtit; cum tamen varias ob cauſas etiam præcedentibus proprium eſſe videatur.* Hanc Clariſſimorum Virorum ſententiam Adverſarium haud latuiſſe, inde forſan amplius confirmatur,

quod,

(a) § VIII. (b) Part. II. Sect. III. cap. IV. pag. 210.

quod, cum omnia expoſuiſſet, quæ hac de re dicere voluerat, tandem (haud dubie eo fine, ne & ipſe aliquando vapulet, ſi forte opus ſuum in illorum manus incideret) ſic concludat (a): *ſed optarem, ut ſæpe laudati duo Benedictini opus ſuum de re Diplomatica maturarent; quippe à quibus id argumenti . . . penitus exhauriendum non dubitamus.* Ergo viri eruditiſſimi uſum litteræ *í* accentu notatæ ſeculo XIII. longe antiquiorem eſſe, ſequentibus probant exemplis. *Jam inde à fine Seculi X.* (inquiunt) (b) *Diploma quoddam Authographum Ottonis III.* (c) *nobis offert ejusmodi accentus acutos litteræ í, ubi duplicata eſt, impoſitos. Idipſum obſervare licet circa litteram í ante à in charta quadam Authographa S. Columbæ Senonenſi* (1) *data ab Hugone Capeto A.* 988. *Reperire etiam quandoque eſt duos accentus* (d) *in manuſcriptis Seculi XI. ſupra voces filíí, Februaríí, Martyríí &c. In quodam Diplomate Henrici Imperatoris III.* (e), *quod Anno* 1048. *datum eſt, litteræ tam í, quam u, cum oblongæ ſunt, accentibus acutis notantur; ita quidem, ut, ubi prior illa duplicata eſt, duplicem quoque accentum ferat. Inſuper edita eſt ab Hickeſio* (f) *charta quædam Guillielmi Conqueſtoris, ſive Rufi, ubi litteræ finales in voce filíí pariter accentibus diſtinguuntur. Seculo XII. ejusmodi accentus acuti litteræ í paullo frequentius imponi cœperunt* (g), *interdum*

E *qui-*

(a) Hoc cap. § IX. pag 51. (b) Part. II. ſect. IV. cap. VIII. pag. 482. (c) Citant Chronic. Gottwic. pag. 210. (d) Eodem Chron. pag. 51. (e) Ibidem pag. 263. (f) Differt. epiſtolaris pag. 71. (g) Casley a Catalog of the mſs. præf. pag. VIII. Struv. pag. 45.

(1) Sive hujus nominis Monaſterio virorum, per eas tempeſtates celeberrimo, ut patet ex Innocentij III. regeſt. L. XV. ep. X. Præcepto Caroli Calvi dato an. Regni Octavo, & Lupi Ferrar. epiſt. ad Pardulum Laudun. Epiſc.

quidem inde flexi, sed plerumque superius non nihil obliqui. Acutorum exempla super litteram í invenire est in quibusdam Diplomatibus Ludovici Crassi, qui anno 1137. obiit (a): *rectos exhibent Davidis I. & Guillielmi Scotiæ Regum chartæ* (b), *quarum altera A.* 1124. *altera An.* 1165. *data est. Pari modo etiam duplicata littera íí accentibus distinguitur in Diplomate Friderici I. Imperatoris* (c) *de A.* 1157. Hucusque laudati duo Anonymi nostri, qui tamen, ut supra diximus, in tomo secundo, quem Adversarius jam habuerat, quid hac de re tenendum esset, jamjam indicârunt; maxime cum producto illo Diplomate Ottonis III., quod hic primo loco citant, & vertente seculo X. datum est, sic inferunt (d): *verum usus iste* litteram *í* accentu notandi *tunc nondum frequens erat; Seculo XI. autem sensim amplius obtinuit, & sub hujus medium in Germania jam valde profecit.* Mihi equidem jam obversatur, quid Adversarius hic opponendum putaverit: dicet nimirum, quod unde ipsum refellere intendimus, inde & nostram confutationem haurire possimus: Eoquod Anonymi isti modo relata litteræ *í* exempla vix attulerint, cum illico subjiciant, hanc praxin *ad pleraque Seculi XI. & subsequentis XII. manuscripta* (quale utique & Acta Murensia sunt) *extensam non fuisse.* Sed prætérquam ex hac eruditissimorum virorum observatione tam parum efficiatur, quod ejusmodi accentus in codice nostro non reperirentur, si seculo XIII. antiquior esset, quam parum inde, quod plerique Trojani

(a) L'Art de verifier les dates pag. 499. (b) Anderson. Select. Diplom & numism. thes. tab. XIV. XXVI. (c) Chron. Gottwic. pag. 359. (d) Cit. Part. II. sect. III. cap. IV. pag. 209.

jani incenſa urbe perijſſe dicantur, conſequitur, ut & Æneas ejusque Pater ac Filius commune Urbis excidium non evaſerint (id quod ipſimet Duum - viri ſatis clare innuunt, cum, ut ſupra jam advertimus, P. Herrgotto à littera *í* argumentandum fuiſſe negant, utique non neſcij, rem ei non cum Diplomate aliquo, ſed cum codice manuſcripto fuiſſe) noverit velim Adverſarius, quod, ſi uſus iſte litteram *í* etiam in codicibus Mſc. accentu notandi ante ſeculum XIII. ullibi invaluit, certe apud Murenſes noſtros obtinuiſſe videatur; ut probant manuſcripti codices, quos bellorum flammarumque injuriæ nobis adhuc reliquos fecère. Primus ſit, quem etiam Mabillonius (a) primo loco poſt Acta laudat, nec ſine ratione *pervetuſtum* vocat; quippe qui indice litterarum forma ſaltem medio ſeculo XII. ſcriptus eſt. Continet codex iſte ab initio ad finem usque eadem manu exaratus, poſt Bedæ librum de tempore Chronicon Reginonis cum continuatione Herrmanni contracti & Berchtoldi ejus diſcipuli. Hic porrò ſæpe ſæpius, & primæva quidem manu, littera *í* tam duplicata (cujus tamen exempla, cum alibi paſſim obvia ſint, nulla producimus) quam ſimplex accentu acuto notatur in vocibus *ínerat*, *impertíri*, *potítus*, *ína* (id eſt OEni) *imprimí*, *Abbatíam*, *alíquem*, *cìtra*, *Argentìnus*, *reperìre*, *potìus*, *erudítus &c.* In alio ejusdem noſtræ Bibliothecæ codice Mſc. Martyrologium primum, deinde Regulam S. Benedicti fœminis accomodatam complectente, quem laudatus Mabillonius *ante annos fere ſexcentos*, adeoque aut finiente XI., aut ineunte ſequenti ſe-

(a) In itinerario Germanico edit. vet. pag. 23. novæ pag. 4.

ſeculo XII. *exaratum* aſſerit (a), inter alias voces & has obſervare licuit in littera *ì* accentu notatas: *cuìuslìbet, adhìbendìs, ammonìtìonibus, ìuniori, ìudiciìs, ſuìs, ìudici.* Quæ quidem ex libro Regulæ tantum deprompta ſunt, cum Martyrologium illi præfixum notabiliter vetuſtius ſit. Tertius codex orationes per annum in Miſſa dici ſolitas continens, atque ex characterum forma præcedenti æquævus, quem ipſe Actuarius noſter laudare videtur, cum ait (b): *ſunt etiam hic miſſales libri quinque, . . . ex hiis quintus tantum orationes habet*, aliqua hujus uſus exempla præbet in vocabulis *ìllius, Beatitudinìs, hì, dilectìonem &c.* Quartum tandem codicem ex Martyrologio Uſuardi, quod ſeculi XI. eſſe videtur, & Regula S. Benedicti aliquantum recentiori conſtantem cum luſtrarem, inter alia hæc reperi, accentu acuto notata: *ìncidunt, allìdere, dìutina, aquìs, Tauronìmium, Amasìam, Aſclepìadas*, & identidem *Terracina.* Hæc ex manuſcriptis codicibus Bibliothecæ noſtræ Murenſis, quibus addere liceat (quod equidem mirum eſt) jam inde à ſeculo VII. ſimile quid deprehendi in codice Anglo-Saxonico Bibliothecæ S. Germani à pratis; quippe ubi littera *i* in monoſyllabis *hi* & *his* ſæpe ſæpius accentu acuto notata recurrit (c). Ex his porrò, ni me omnia fallunt, recte infertur, quod accentus litteræ *i* tam in Diplomatibus chartisque, quam in codicibus Mſc. jam dudum ante ſeculum XIII. invaluerit, atque adeo Auctor Vind. recte negârit, ad hunc characteriſmum

(a) Ibidem. (b) Pag. 47. edit. Murenſ. (c) Citat. Traité de Diplom. Part. II. Sect. III. cap. IV. pag. 209. Item Sect. IV. cap. VI. Art. VII. pag. 379. ubi de codice hoc Mſc. ſequentem dant notionem: *Ce livre eſt un petit in folio, en minuſcule Saxone de diverſes mains, & du VII. au VIII. Siecle.*

mum provocandum fuiſſe, ut codex Murenſis ad recentius ævum referretur; id quod erat demonſtrandum. Nolumus plura de his; antequam tamen hinc divertamus, unum diluere juvat, quod, quamquam adhuc objectum non ſit, fortaſſis tamen objici poſſe videbitur. Id autem eo redit, quod, tametſi certum modo ſit, litteræ *i* hinc inde impoſitum fuiſſe accentum acutum jam ante ſeculum XIII., exiguum tamen lucrum hinc nobis accreſcere videatur; eoquod codex Murenſis, ut ex ſpeciminibus à P. Herrgotto editis pateat, non aliquos tantum, ſed bene multos ejusmodi accentus præferat. Sed enim, præterquam fieri facile potuit, ut, cum ſuo quisque abundet ſenſu, Scriptor noſter invectum ſemel uſum amplius extenderet: Noverit velimus, quisquis id nobis objiciendum putaverit, quod quamquam ejusmodi accentus in locis, quæ P. Herrgottus depingi curavit (in reliquo enim codice rariſſimi apparent) admodum frequentes occurrant, plerique tamen recenti tantum quorumdam (quos nunc quoque ſilemus) manu adjecti ſint; uti teſtantur, qui codicem adhuc intemeratum viderunt, & diei ac loci, ubi depravatus fuit, hodieque meminerunt viri inter noſtros ſummæ & auctoritatis & eruditionis.

Accedimus nunc ad argumentum, quod Auctor Vind. P. Herrgotto tertio loco oppoſuit, & juxta ſuperius dicta his fere verbis conceptum eſt: *Affert Cl. P. Herrgottus excerpta ex Necrologio VVettingenſi ſub hac prænotione: primigenia ſcriptura eſt ſeculi XII.; cum tamen Monaſterium iſtud VVettingenſe demum ſeculo XIII. fundatum fuiſſe conſtet:* videtur igitur fallax eſſe characte-

 riſ-

rismus, *nec semper & ubique uni seculo ita proprius, quin ævo jam superiori invaluerit.* Omnia hic in transversum agunt Adversarium ac primo quidem vix sese continet (a), *quin dictum Monasterium seculo XII jam constitutum fuisse* defendat; eoquod Augustinus Sartorius in *Cistertio bis-tertio* versionis germ. pag. 1000. id *distinctis verbis* testetur. Verum cur hunc potius locum falsum nullaque auctoritate firmatum ab hoc Scriptore mutavit, quam alium & verum, quia ex archivo Salemitano depromptum (b); ubi non minus *disertis verbis* dicitur, Monasterium *Wettingense* (Filiam Salemitani) demum A. 1227. ac proinde seculo XIII. *fundatum esse ab Henrico Comite Rapperschwvilano?* Non diffitetur ergo Adversarius origines memorati Monasterij ad seculum XIII. rejiciendas esse (c) negat autem, quod P. Herrgottus ejus Necrologium ad seculum XII. reposuerit. *Quo enim pacto*, inquit, *ignorare poterat P. Herrgottus Monasterij Wettingensis initia*, cum ipsemet authentica pro iis instrumenta produxerit (d)? quidquid igitur erroris est (pergit) typographo tribui debet, *qui omissa unitate numerum XII. pro XIII. supposuit.*

Verùm dolendum quod P. Hergottus hoc loco erraverit, sive Necrologium Wettingense seculo XII. sive subsequenti XIII. asseruerit. Esto igitur, quod istius Monasterij origines non solum non ignorârit; sed (quod itidem credibile fieri debuisset) etiam cogitârit, cum de

(a) L. I. cap. VII. § XII. (b) In Apiario Salemitano, quod Cistercio bis-tertio versionis Germanicæ per modum appendicis adjectum est, pag. XVI. § XIII. (c) Cit. cap. VII. § XIII. (d) Gen. Diplom. Tom. II. num. CCLXXXIII. & duobus seqq.

de ejus Necrologio verba faceret: frustra tamen hic laborat Adversarius cum eum ab errore excusare adnititur.

Quia codex iste demum ineunte seculo XV., vel certe sub extremos decimi quarti annos exaratus fuit. Monere hic juvat, quæ circa codicis hujus pergameni compacturam & hanc quidem primævam observavimus. Hæc ex tabulis ligneis est, obductis corio suillo, adnexis in medio & angulis bullis ex aurichalco. Cœpêre quidem jam seculo XII. & XIII. (ut Struvius ait) (a) compacturæ ex tabulis ligneis fieri; sed tunc tantum membranis obducebantur: usus autem tabulas istas corio obducendi non nisi sub medium seculi XIV. cœpit compacturæ autem corij suilli adhuc recentiores sunt. De forma litterarum nihil dicimus, ne judicium nostrum alieno prætulisse videamur: ipse contextus sat loquitur, quod volumus, si modo Adversarius concedat, quod primævam manum & atramentum à secundis distinguere sciamus, nec nisi primævis scripta sint, quæ ex multis electa jamjam producimus, loca. Ad diem igitur XVI. cal. Apr. hæc leguntur: *Obijt Joannes Frovvenlob fidelis servus Dñi Burkardi Abbatis* (utique Wettingensis) qui præfuit ab A. 1385. usque ad A. 1407 (b). Ad diem V. idus Apr. jubetur *fieri comemoratio Dñi Johannis de Klingenberg militis, & Heinrici, & Cuonradi de Rumlang & aliorum plurimorum cum ipsis occisorum . . . in valle Glaris anno Dñi MCCCLXXXVIII.*, nempe in celebri prælio, quod Austriacos inter & Glaronenses commissum est ad Nava-

(a) Differt. de crit. Msc. § XL. (b) Vide Galliam Christ. T. V. pap. 1090.

valiam primarium hodie Catholicorum Glaronensium locum. Ad diem III. idus Jan. hæc notantur: *Anno Dñi MCCCLXXXXII. obijt Johannes Comes, filius quondam Domini Johannis de Habspurg, qui dedit cuilibet Monacho* XXX. *denarios.* Antiquissima porrò memoria, quæ à secunda manu huic codici inserta fuit, est de A. 1409. quo *Anna de Hegi uxor Ruodolfi de Huneberg militis* obijsse dicitur.

Ex his jam relinquitur, quod superius diximus: nempe codicem Necrologij Wettingensis vix ac ne vix quidem ad seculum XIV. referri posse, adeoque P. Herrgottum ejusve Sodales, qui illum oculis usurpârunt, esse deceptos, sive eum seculo XII. sive subsequenti scriptum esse voluerint. Poterit hinc etiam colligere Adversarius quid respondendum sit ad illud, quod ultimo loco (a) objicit dicens, quod, tametsi P. Herrgottum litterarum forma hic fefellisset, ob id tamen non fuisset carpendus; tum quod litterarum figuræ vertente seculo XII. & ineunte sequenti multum inter se diversæ non fuerint, tum quod facile quis falli possit in paucis lineis, quæ Necrologiis, cum primum conduntur, adscribi solent: dicendum nempe erit, quod, cum falso laboret supposito, ac si codex iste jam seculo XIII., & hoc quidem ineunte scriptus sit, quodque hinc consequitur, rara tantum primigeniæ manus exempla contineat; nullus etiam excusationi sit locus. Taceo alia, quæ pariter huc facerent; quærere tamen liceat: si de ejusmodi Necrologio adhuc recenti, sed, ut fieri assolet, integrum Sanctorum Calendarium exhibente, ex figura lit-

te-

(a) § XIV. pag. 54.

terarum ſolidum judicium ferri nequit; cur Adverſarius (a) ad codicis noſtri ectypa, à Patre Herrgotto edita tam fidenter provocat, quæ tamen longe contractiora ſunt, ac Sanctorum calendarium?

At ſatis jam de hiſce, & ſimilibus diverticulis flexionibusque; unum adhuc prætermittere non poſſum, ne ſi irreprehenſum maneat, Vindicem noſtrum male audire contingat. Nempe videtur Adverſario conſtitutum fuiſſe animo, noſtrum, ubicunque poſſet, reum proclamare; utique ut, ſi talis haberetur, & ſibi illiberalius cum eo agere liceret. Hinc quas neſcio iras præfert (b), quod Acta Murenſia in editione Herrgottiana *interpolata* eſſe dicantur; ſiquidem *interpolare* nihil aliud ſit, quam *temerarias manus in vetera inſtrumenta immittere*, quod genus fraudis P. Herrgotto non niſi per injuriam tribui poſſit. Appoſite hic reponere poſſet, ſi viveret, Auctor Vindiciarum, quod olim Cremutius Codrus ſimili accuſatione petitus referente Tacito dixit: *Verba mea P. C. arguuntur, adeo factorum innocens ſum* (c), & ea quidem verba, quæ mitiori ſenſu accipi non ſolum poterant, ſed etiam debebant. Audiat enim Adverſarius, quid Cangius contra Joannem de Janua, atque adeo & contra ipſum, ut qui vocem *Interpolatio* pariter in malam partem interpretatur, obſervet: *Scilicet interpolationes cum de veteribus ſcriptis agitur* (ut hic fit) *dici adjectiones vel immutationes, quæ in tranſſumptis occurrunt, vitio librariorum, qui authentica non exſcripſerunt iis, quibus par erat fide & diligentia, ſive id de induſtria*

(a) Cit. L. & cap. § V. (b) § X. (c) In annal. L. IV. 34.

ſtria fecerint, ſive non (a). Cætera ubi præcipua diſceptationis capita obtruncavimus, jam lubenter miſſas facimus.

Ex dictis autem patet 1[mo] quæ de littera *í* accentu acuto notata celebrabantur, à vero abludere, hancque jam ſeculo XII. immo & XI, invaluiſſe. Patet etiam 2[do.] nihil eſſe, quod P. Herrgottum vel potius ejus Sodales ab errore, quem circa Necrologium Wettingenſe commiſere, excuſet; adeoque litterarum forma falſos fuiſſe, ſive codicem hunc ſeculo XII., ſive decimo tertio aſſeruerint. Quidni igitur inferamus: *Fallacem eſſe characteriſmum, nec eundem ſemper & ubique uni Seculo ita proprium, quin ævo jam ſuperiori invaluerit*, ac proinde à forma litterarum ſolidum argumentum deduci non poſſe? Non deſunt ſane, qui hanc ſententiam comprobent, aut etiam pugnaciſſime defendant Muratorij (b) Maffeij (c) Perezij (d) aliique viri doctiſſimi: ſed ab horum opinione jam ultro diſcedimus; advertentes, quod, *ſi illi, qui alias etiam docti, intelligentesque rerum æſtimatores habentur, quandoque falluntur, error hominis ſit non artis; ſcientiaque ideo non minus certis nitatur principiis, quia ii, qui in illa excellere videntur, in hæc aliquando impingunt* (e). *Nolimus*, itaque inquit Auctor. Vind., *codicem Murenſem ſupra ætatem legitimam*, ſeculum nempe XIII. *extolli*: Illud autem negamus, & pernegamus, quod, cujus ætatis codex eſt, ejusdem & ipſe Actorum Auctor ſit; quod tamen P. Herrgottus inferre voluit; quando

(a) In Gloſſario med. & inf. latin. v. *Interpolatio*. (b) Antiq. Ital. T. III. col. 872. (c) Opuſc. Eccleſ. p. 60. col. 2. (d) Diſſertat. Eccleſ. 1688. pag. 253. 254. (e) Traité nouveau de Diplom. Part. II, Sect, III. cap. VI. pag. 353. col. 2.

do Prolegomenon ſuum tertium his verbis concludens: *Ex dictis . . . liquet , ſcriptorem i. e. Auctorem Murenſium Actorum Seculo primum XIII. floruiſſe* (a), lectorem in margine monet; ut, ſi finalis hujus ſententiæ rationes pernôſſe cupiat, *repetat dicta § V. & ſequentibus* nonnullis, conſequenter & ſexto, qui ipſiſſimus eſt, de quo hic diſputavimus.

III. Tandem P. Herrgottus ad ipſum Actorum contextum accedit, lapidem illum lydium, unde Scriptorum ætas optime certiſſimeque deſumi poteſt. Meminit Actuarius noſter cujusdam *Henrici de Habsburg* (b) *qui* Monaſterio *manſum dedit, ea conditione, ut anniverſarius obitus ſui cum eo celebretur, qui eſt X. Kl. Auguſti.* Atqui (infit Cl. Pater) (c) *Henricus* iſte, *ſive ſenior, ſive junior ille fuerit, Pincerna erat Comitum de Habsburg, quorum prior in chartis noſtris* ab anno MCCVII. usque ad annum MCCLII., *poſterior* ab anno MCCXXXII. ad annum MCCLIV. *recurrit. Ex hac ergo notione* (infert porrò contra Peireskium, qui Acta ſub annum 1142. ſcripta eſſe aſſeruit) *ex hac ergo notione conjiciendum erat, Scriptorem Actorum, qui data opera donationis ab uno horum Henricorum factæ meminit, illorum fuiſſe æqualem, aut poſt illorum demum mortem ſcripſiſſe.* Hucusque P. Herrgottus, ſatis fidenter affirmans, Henricum, cujus hic meminère Acta, eundem cum alterutro illo Pincerna eſſe.

Doceat autem, velimus, Cl. Pater (verba ſunt Vindicis noſtri) (d) *non tantum Henricorum ſuorum ætatem, ſed ipſum*

(a) § XXV. (b) Edit. Murenſ. pag. 83. (c) Proleg. III. § IX. (d) Lib. I cap. IX. pag. 59.

ipſum, de quo Scriptor Murenſis, alterutrum eorum, ſive ſeniorem, ſive juniorem fuiſſe demonſtret; nec præpropere, & decretorie quidem pronuntiet: „ Scriptorem Actorum Mu„ renſium data opera donationis ab uno horum factæ „ meminiſſe „. *Si duo Henrici de Habsburg dicti ſub idem tempus ſimul occurrunt, poterat & tertius integro ante Seculo extitiſſe, ſeu ex miniſterio, ſeu ex ſtemmate cognominatus de Habsburg.* Nihil æque hic diſplicet Adverſario, quam quod à P. Herrgotto exigatur, ut, antequam ex memoria Henrici in Actis celebrati recentiorem Actuarij ætatem inferat, Henricum hunc eundem cum alterutro ex ſuis eſſe *demonſtret*: Hinc illæ quærelæ: (a) *Nova & inſolita argumentandi ratio!... nova, adhuc repeto, ratiocinandi methodus!... rarum atque inſolitum poſtulatum! ut demonſtret* P. Herrgottus, *quod non niſi pro conjectura venditat, dicens*: „ Ex hac notione conjicien„ dum erat „. *Sed hæc ex Logica Adverſarij.*

Sed nihil facilius eſt oſtendere, quam quod Vindex noſter hic quoque immerito vapulet, & dictum hoc ejus, quo tantopere offenderis, ſit prorſus extra noxam. Præterquam enim, verbum *demonſtro* (ut vir quiſpiam doctus advertit) (b) non modo linguæ latinæ Magiſtris pene ubique plus non ſignificet, quam *dico*, *oſtendo*, *doceo*, *expono*, *declaro*; ſed ipſis etiam Scholaſticis (in ejusmodi rebus alias ſatis accuratis) utpote quibus paſſim nomine *demonſtrationis* venit, quod à ſe non nude aſſertum, ſed luculente, quantum ad prudentem aſſenſum deſiderari poſſe putant, confirmatum dicere volunt: qua ratione Euſebius Cæſarienſis, & Abrincenſis Epiſcopus Hue-

(a) Lib. I. cap. X. §. II. & III. pag. 76. (b) Anonymus Auctor Vind. Pro Eduardo Corſino, pag. 5.

Huetius suum de *Demonstratione Evangelica* opus inscripserunt: Præterquam ajo, facile fuisset Adversario, verbum *demonstro* non nihil laxiori (communiter tamen recepto) significatu donare: Quæso! quis sole lucente diem esse conjectet, atque ex præmissis evidentibus conjecturalem inferat conclusionem? Si Henricus ille, cujus in Actis nostris mentio fit, alteruter ex illis Pincernis cognominibus erat, ut P. Herrgottus non semel tantummodo, sed iterum (a) ac tertio (b) asserit, & ita asserit, ut nulla ullibi conjectantis particula appareat, quam tamen terminis tam expeditis saltem semel adjicere debuisset; ne ut *Scriptor Cyclicus olim* fumum ex fulgore daret: Si præterea, ut is assertum confirmat, Scriptor Murensis *data* etiam *opera* (quid assertius dici posset) donationis ab uno horum Henricorum factæ meminit? an Adversarius etiam de suo cliente præsumere nos velit tantillum judicij, ut Scriptoris nostri ætatem per conjecturam tantum ad seculum XIII. rejicere voluisset: maxime cum Paragrapho immediate sequenti, post omnia alia denuo ad hoc argumentum, tanquam quod decretorium sit, provocet? Næ consultius fuisset (dixit jam nuper aliquis) admittere verbum *conjiciendum* in sensu non tam strictè Gramaticali sumptum fuisse, quam sic illiberalem esse in suummet Contubernalem, & dehinc etiam in Auctorem Vindiciarum. Non dubitamus equidem, quin à P. Herrgotto facilis ipsi venia sit.

Nobis vero hæc vexatio aliquanto gravior accidit, quod Vindex noster vel ideo *demonstratio-*

(a) Prolegom. III. §. X. (b) In amplissimo Indice Tom. I. v. *Henricus*.

nem flagitare poterat, quia contra P. Herrgottum argumentum expedivit, omni conjectura ſuperius. Teſtatur Actuarius noſter (a) *Conſuetudinem congregandi fœminas* religioſas, ſive collegium Monialium etiamnum ſuo ævo hic viguiſſe. Cum porro ſanctimoniales iſtæ jamjam ſub initia ſec. XIII., aut certe anno hujus ſeculi quadrageſimo (b) in alium locum translatæ jam fuerint; Henrici vero illi ſive ſenior ſive junior poſt hunc annum diutius adhuc vixerint: qui fieri poteſt, ut Actuarius noſter, qui ante illarum translationem ſcripſit horum unius diem mortualem adnotârit, prout adnotavit? dicendum itaque, Henricum de Habsburg, qui in Actis memoratur, longe alium eſſe ab Henricis illis, quorum memoria in chartis P. Herrgotti recurrit. Qua enim arte, quove modo nodum hunc, quem nec Alexander ſcinderet enſe ſuo, diſſolvet adverſarius? alius à me diceret, hic parum ingenue nobiſcum ab eo agi: nec ſane im̃erito quis ei iraſceretur. Cum enim, ut modo audivimus, Auctor Vind. vim in eo ſolummodo ponat, quod Actuarius noſter ſui Henrici *ut jam defuncti* meminerit; Adverſarius autem tam in relatione, quam in refutatione argumenti hanc circumſtantiam reticeat (unde ei facile fuerat, illud eludere) quis ei non jure, meritoque iraſcatur tum maxime *cum oppoſitæ ſententiæ argumenta impropria facie, & aſpectu proponuntur?* ſed nolimus ita agere: creda-

(a) Edition. Murenſ. pag. 25. (b) Charta Archiv. Mur. de An. 1279. quam P. Herrgottus Tom. II. n. DLXXXVII. integram producit; docet *tres manſos in Waltoswile piæ memoriæ quondam Albertum Comitem de Habsburg, qui transmarinis partibus obiit, Monaſteriis in Mure & in Hermoswile . . . . tradidiſſe.* Atqui Albertus iſte Anno 1240. jamjam objerat: ergo ſaltem hoc anno jam ſteterat Monaſterium in Hermetſwil.

damus potius Adverſarium hanc circumſtantiam ideo dumtaxat tacuiſſe, ne animo ſuo vim inferre, & clientis ſui argumentum everſum eſſe fateri cogeretur. Cum igitur nihil habeat Adverſarius, quod in præſentiarum Vindici noſtro opponat; manet profecto, ex memoria Henrici de Habsburg, de quo in Actis Murenſibus, non conſequi, ut Actuarius noſter demum ſeculo XIII. floruerit. Quod attinet conjecturam illam, quam Auctor Vind. ferme in hæc verba attulit: *non vana forſan ſit conjectura, eundem cum noſtro eſſe Henricum illum*, qui apud P. Herrgottum (a) *in charta anni* 1127. *inter teſtes connumeratur, ſub cognomine de Habsberg*; eoquod Lunigius, qui hanc chartam pariter edidit, legat *de Habsburg* (b): Quod inquam hanc conjecturam attinet, pro qua convellenda Adverſarius *veteris non parcus aceti* novem integras paginas implevit, tantum abeſt, ut deſuper cum eo contendere velim, ut, quoniam res aliunde nullius momenti eſt, ultro in ejus opinionem concedam.

IV. Tandem ad quartum & ultimum argumentum accedimus, quo P. Herrgottus recentiorem Anonymi Murenſis ætatem evinci poſſe exiſtimavit. Adverterat nimirum, ad calcem Actorum (c) ſubnecti memoriam Conradi Monachi & Cellerarij, qui initio ſuæ converſionis varias Monaſterio donationes fecerat, *cum licentia D. Anſelmi, tunc temporis Abbatis*. Hinc concludit (d) Actuarium demum poſt mortem Anſelmi (qui ab anno 1178. usque ad annum 1210. præfuit) ſcripſiſſe; quan-

(a) Geneal. Diplom. T. II. CCVIII. (b) In Spicil. Eccl. Arch. Imp. part. III. p. 366. (c) Edit. Mur. p. 93. (d) Proleg. III. § VII.

quandoquidem, si eo adhuc vivente scripsisset, utique dixisset: *Nunc temporis*, vel *hodierni Abbatis*. Sic fere P. Herrgottus. Sed quid ad hæc Vindex? Negat scilicet ex formula *tunc temporis* necessario sequi, ut is, de quo sermo est, jamjam obierit. Causam interserit (a), quod *sæpius ea, quæ posterorum notitiæ consignata volumus* (uti quidem Anonymus noster, quæ hic narrat, posteris consignata voluit; quandoquidem ait: *Ea, quæ gesta sunt à Cuonrado . . . Posteris intimamus*) *licet nostris temporibus, & vel hodie gesta sint, tanquam diutius præterita, & qualia ipsis sunt posteris, remota nos quoque consideremus: Sicque etiam præsentiam eorum, qui rei gestæ interfuerunt, adhuc congruentius per terminos tunc temporis, quam nunc temporis exprimamus.* Hucusque Vindex. Nunc ordo postularet, ut quæ Adversarius hisce opponit, afferremus; verum quis sine stomacho vel scribat, vel audiat, quantas quærelas hic congerat? næ Lectorum patientia abuteremur, si plura recitaremus, atque ad propinandam ejus hac super re sententiam necessum fuerit. *Ineptus* igitur juxta ipsum sit, qui de homine adhucdum vivente, v. g. de hodierno Imperatore verba faciens, adjiceret: *Tunc temporis* Imperator. *Nonne* enim (clamat) (b) *omnes existimarent, hunc talem desipere, vel ea esse in persuasione, ut putet, Imperatorem esse defunctum? Sed apage id genus paradoxa.* Hæc, pluraque his similia in præsentiarum Adversarius. Verum hæc formula sane hoc innocentior est, quo plures prudentioresque eâdem usi sunt, & adhuc utuntur, ut exemplis demonstramus. Primum extat in quodam Sergii I. P. M. ad Hie-

(a) Part. I. cap. VII. pag. 37. (b) Lib. I. cap. VIII. § II.

Hieronem Lingonum Præsulem Rescripto, quod integrum à Chronographo Benigniano refertur (a) & ita finitur: *Data per manus Joannis Bibliothecarij* TUNC *sedis Apostolicæ*; quem locum Mabillonius, quasi prævidens præcipitis ingenii censuras, sua dignum attentione censuit, cum (b) ait: *Erit forsan* (& ecce nunc est) *quem moveat, quod hæc Epistola data dicitur per manus Joannis Bibliothecarij* TUNC *sanctæ sedis Apostolicæ: Verum eadem vox, quæ insolens videtur, etiam in aliis litteris reperitur, ut ostensum est in libri* 2. (de re Diplomatica) *cap.* 21. *n.* 14. Exquiramus igitur hunc Mabillonij locum R. Pater, & quænam porrò *inepta* illa, capita sint, quibus hic loquendi modus placere potuit, videamus. Atqui Mabillonius hic ita habet: *In subscriptionibus suis Notarij nonnumquam usi sunt hac formula: Eadmundus* TUNC *temporis Cancellarius scripsit & corroboravit; quam formulam legimus in Authographo Theodorici Episcopi Virdunensis pro cœnobio S. Michaëlis ad Mosam, dato An.* 1051. *Similis formula legitur in Diplomate Ludovici Grossi pro cœnobio Mauriniacensi, cui Diplomati inter alia primorum Regni Officialium signa legitur: Signum Anselmi* TUNC *temporis Dapiferi nostri.* Aliud ejus rei exemplum affert idem Mabillonius in Annalibus Benedictinis (c) ex charta quapiam Hugonis de Petrafonte Episcopi Suessionensis pro Monasterio S. Theobaldi de Basilicis data anno 1093. ubi legimus: *Ego Hugo Episcopus* TUNC *temporis, & Cancellarius scripsi, & subscripsi.* Menradus quoque (d) publici juris fecit chartam de anno 1209.

G in

(a) Tom. II. Spicileg. edit. nov. pag. 370. (b) De re Diplom. L. V. p. 436. (c) Tom. V. pag. 309. n. 55. (d) Preuves de l'Histoire des Nismes T. I. pag. 46.

in qua inter teſtes primus nominatur *Bertrandus de Garricis in Nemauſo* TUNC *temporis Vicarius*. Auctor tractatus de Monitoriis (1) obſervat, ſeculo XIII. excommunicationem propter debita irrogatam tam parum terroris attuliſſe, ut nobiles ea perculſi, ægre non ferrent, etiamſi in Actis publicis ejus memoria fieret. Exemplum affert Domini cujusdam de Vitreio, qui una cum Epiſcopo Rhedonenſi ad diſceptandam quamdam controverſiam arbiter adoptatus fuerat. Sententia arbitrij ſic occipit: *Præſentibus nobis Hamelino Epiſcopo, & Roberto Vitretienſi* TUNC *temporis excommunicato. Huic formulæ tunc temporis ideo inſiſtimus* (inquiunt (a) ſæpe laudati duo Anonymi Benedictini, quorum Tomus 4^tus^, unde ultima hæc duo exempla depromſimus, his ipſis diebus ad nos allatus eſt) *Ut Lectorem præmuniamus contra modernos quosdam criticos, qui Diploma aliquod infamârunt, quia inibi de Abbate vivente dicitur*: TEMPORE DOMINI NICOLAI ABBATIS. At nempe (inquiunt iidem alibi) (b), quorum *critica audaciſſima eſt, iidem non ſemper optimam veterum conſuetudinum notitiam habent.*

Patet igitur, ex hiſce verbis (*cum licentia D. Anſelmi* TUNC TEMPORIS *Abbatis*) non conſequi, ut, qui ea adhibuit, demum poſt mortem iſtius Abbatis floruerit; quandoquidem Scriptores hac loquendi formula olim uſi ſint, & adhuc utantur, etiam, cum de viventibus ſermonem habent. *Verum damus aliunde* (inquit Auctor Vind.) *geſta Conradi Cellerarij poſt mortem tam hu-*

jus,

(1) Prodiit Pariſiis An. 1740. (a) P. III. Sect. I. cap. III. pag. 574. (b) In præfat. ad Tom. I. pag. XII.

jus, quam & Abbatis Anſelmi conſcripta: Si autem brevis, ubi illa recenſentur, actorum appendix, & qui hanc ſcripſit Monachus Anonymus ſeculo XIII. ſuperiores non ſunt; num ideo ipſa etiam Acta, Actorúmque Collector ad hoc ſeculum ſunt infimandi? atqui ultimam illam codicis noſtri particulam, quæ Abbatis Anſelmi memoriam commendat, merum eſſe additamentum diverſi ab Actuario, & hoc integro fere ſeculo recentioris ſcriptoris, Auctor Vind. cum pluribus aliis, quæ ſubinde referemus, tum primum hoc argumento ab ipſa Actorum Oeconomia petito oſtendit.

Primævus Actorum ſcriptor talem ſibi legem, ordinemque præſtituit, ut primo Monaſterij Hiſtoriam, & hanc bipartitam, deinde ejusdem ſubſtantiam, & ipſam varie diviſam deſcriberet. Primæ partis, ſeu Hiſtoriæ membrum primum de fundatione & fatis Monaſterij, ſecundum de ſucceſſione & geſtis Abbatum eſt: Tota narratio longa ſatis ac pia clauſula coronatur. Alteram partem ſeu *ſubſtantiam* dividit in *interiorem*, quæ rurſum in tres, & *exteriorem*, quæ in duos Paragraphos ita diſtinguitur, ut *interioris* Paragraphus primus de reliquiis Sanctorum, alter de ſuppellectili Eccleſiæ, tertius de libris Bibliothecæ: *Exterioris* prior de poſſeſſionibus ſacris, poſterior de poſſeſſionibus profanis ſit, tota autem hæc pars in ſequentia verba deſinat: *Nunc ergo, ſicut nos ſubſtantiam iſtius ſanctæ Eccleſiæ, quæ vel ante nos, vel noſtris temporibus huc collata eſt, deſcripſimus, ſic faciant & illi, qui poſt nos veniant* (a). Si autem totum

(a) Edit. Murenſ. pag. 92.

Actorum corpus, prout etiam ultima adjectamenta includit, ab uno eodemque Auctore demum post tempora Anselmi Abbatis ac proinde sec. XIII. conceptum fuisset; cur scriptor tam industrius & ordine tam accurato procedens, ea quæ post hanc clausulam leguntur adnotata, sacra & profana, puta libros, vasa, ornamenta sacra, ad titulum *substantiæ interioris*; prædia item & census ad titulum *substantiæ exterioris* spectantia, & præterea præ multis aliis (in hac hypothesi) sibi notiora, quia prætensæ suæ ætati viciniora, non pariter suo loco, & ante illam clausulam posuisset? *Quare omnia illa, quæ in codice nostro post dictam clausulam finalem subjunguntur, augmenta serius, & non nisi absolutis primi scriptoris commentariis, in quibus Acta Murensia proprie & principaliter consistunt, Monasterio accessisse tenendum est* (a). Ita fere Vindex noster, cujus hocce argumentum quam difficile ac molestum Adversario fuerit, ex responso, quod desuper reddit, patet. Negat scilicet ex allegata clausula consequi, ut plures sint Actorum scriptores (b): quasi vero Vindex noster vim argumenti in hac sola posuisset, neque adverteret Adversarius, eam non tam ad evincendam scriptorum diversitatem, quam ad determinandum, ubi scriptor primarius desinat, excitatam fuisse. Qui in revincendo suo Adversario hoc modo versatur, victum se numquid satis ipse prodit? Neque interim existimet quisquam, productam abs Vindice nostro clausulam non firmissimum pro pluralitate scriptorum argumentum constituere. Verba Actuarij sunt: *nunc ergo, sicut nos substantiam istius sanctæ Ecclesie,*
QUE

(a) Vindex Auctor Murens. c. VII. p. 42. (b) L. I. cap. VIII. § V. & seqq.

QUE VEL ANTE NOS, VEL NOSTRIS TEMPORIBUS HUC COLLATA EST, *descripsimus, sic faciant & illi, qui post nos veniant.* Ex his, si quid judico, recte infertur, ea, quæ subsequenter leguntur adnotata, demum post absoluta Acta Monasterio accessisse: Cum porrò inter hæc primum sit incorporatio Ecclesiæ Bosvvylensis facta sub Abbate Chunone circa an. 1145. (a); qui fieri potest, ut is, qui & ante hanc incorporationem scripsit, & in Actis primario talibus identidem satis adultam ætatem spirat, etiamnum post mortem Abbatis Anselmi, adeoque post dimidium saltem seculum ea, quæ gesta sunt à Conrado Cellerario, adnotârit? at fortassis jam dices, gesta sub Chunone, hoc adhuc vivente, consignata fuisse. Esto, quod res ita se habeat: illud semper verum, quin & verissimum erit, Acta principaliter talia jam ante dictam incorporationem, ac proinde non demum medio seculo XIII. (ut P. Herrgottus vult) sed saltem medio XII., quippe, quo illa incorporatio facta est, exarata fuisse. Nam quid huic argumento obstat? adeone novorum, quæque ipse vidit, inscius aut immemor fuerit Actuarius, qui veterum dudumque ante se gestorum tam sciens, tam memor erat? En igitur non solum refutatum, quod *integra Actorum commentaria demum post mortem Anselmi Abbatis exarata fuerint*, id quod P. Herrgottus hic prætendit: sed etiam demonstratum, primævum scriptorem jamjam medio seculo XII. floruisse, id quod sequenti Paragrapho amplius probabitur.

Nunc unum adhuc superesse sibi ait Adversarius, quod

(a) Vid. Acta. cit. pag. 92.

quod decoquere plane non possit: nempe quod Auctor Vindiciarum, ubi illum Actuarji locum, super quo nunc disputavimus, excitavit, per parenthesin notârit: ibi non *Cellario ut P. Herrgotti editio habet, sed Cellerario* legi debere. Nam quam male, quam temere id factum? nedum, quia tam facilis est lapsus calami aut typi (inquit Adversarius) (a) quam facilis descensus averni, (acuta cogitatio!) sed quia P. Herrgottus loco citato revera edidit *Cellerario. Vel ergo* (pergit) *egregie deceptus est Noster, vel sibi ipse non constat, vel denique hæc vitilitigationis duntaxat studio dicta sunt. Quidquid sit, falsum est, P. Herrgotti editionem præferre Cellario.* An oculis, an mente, an utroque hic caliget Adversarius, ignoro: hoc scio, quod falsum dicat. Legite quotquot estis probatæ integritatis viri! legite apud P. Herrgottum locum, de quo hic quæstio est: & nisi errorem quem ei Vindex noster objicit, inveneritis, justas vitilitigatoris pœnas dabo.

§ II.

I. Recte nonnemo dixit: *Nihil tam nimis demonstrari posse, quod negari itidem non possit à vehementi & obstinato opinatore, qui etiam illa sibi oppugnanda ducet, quæ interius habet perspectissima* (b) Dictum hoc egregie confirmat Adversarius, cum non obstante, quod ipsemet Actuarius noster diserte testetur, se sub Abbate Ronzelino (qui ab anno 1119. usque 1145. præfuit) vixisse: nihilominus rem in dubium vocare, immo rotunde negare præsumit. Locum, quem

(a) Lib. I. cap. VIII. § X pag. 63. (b) Auctor artis cogitandi. part. III.

quem innuimus, apponere juvat. *Capellam sancti Johannis Evangelistæ* (inquit Actuarius noster) (a) *construxit quædam nobilis Matrona nomine Gerhild sub Abbate Uodalrico, qui fecit eam dedicari . . . . à quodam Episcopo nomine Geroldo. . . . In quod altare collocatæ sunt tunc reliquiæ Sanctorum, id est, ejusdem S. Johannis, Mauritji &c. sed quia altare male compositum fuit, sub Abbate Rœzelino effrigimus ipsum altare, & sicut modo est, collocavimus. Cumque ad reliquias ipsas perveniremus, penitus ex humore terræ computruerunt, ac nichil invenimus, nisi quoddam os: sed pulverem, ita ut invenimus, collegimus, ac cum reliquiis sancti Marci Evvangelistæ, & sancti Nicolai Episcopi rursum repositæ sunt eædem reliquiæ in ipsum altare ab Uodalrico Episcopo secundo Constantiensi. . . . . Continentur autem in ipso altari,* SICUT EGO IPSE VIDI, ET AUDIVI, *reliquiæ sanctæ Dei genitricis Mariæ de sepulcro Domini, de sancta Cruce &c.* Ex hoc loco (nisi me omnia fallant) clarissime patet, quod hic probare habemus; nimirum Actuarium nostrum jamjam sub Abbate Ronzelino in vivis & Muris fuisse. Certum enim est, quod cum altare S. Joannis, ex quo ab isthoc Abbate reædificatum fuit, ad id usque temporis, quo Actuarius scripsit, nihilo immutatum fuerit (ut ipse testatur) reliquiæ in eo inclusæ hoc interim temporis spatio videri non potuerint, adeoque si Actuarius eas vidit, factum id esse oporteat vel ante, vel sub altaris reclusionem. Cum porro is diserte testetur dictas reliquias sibi visas fuisse; sequitur profecto, ut non demum post mortem illius vixerit, cujus cura altare instauratum

(a) Edit. Mur. pag. 50.

tum fuit. At quanto evidentiora hæc ſunt, tanto audacius contradicit Adverſarius. Fingit itaque (a) Actuarium, dum ſe vidiſſe, & audiiſſe ait, quænam reliquiæ in *ipſo Altari* contineantur, non de reliquiis in *confeſſionem*, ſeu menſam repoſitis loqui, quippe quas jam enumeraverit, ſed ſolum de iis, quæ, ut hodie fieri aſſolet, in *elevatione* ſeu eminentiori illius parte collocatæ, & venerationi expoſitæ fuerint. Atqui hac fictione credulis lectoribus perſuadere conatur, nihil minus ex allegato Actuarij loco conſequi, quam quod is Ronzelino æquævus fuerit: ſiquidem id genus reliquiæ etiam longiſſimo poſt tempore *videri*, immo & *contrectari* potuerint. At nos in alia omnia ire eo minus dubitamus, quo plura ſe nobis offerunt, quibus hoc commentum convellere, penitusque retundere valemus.

Primum eſt, quod ante ultima hæc tempora nullibi in more fuerit, ut reliquiæ in Altaris elevatione ponerentur. Utique illæ olim in cryptis ſubterraneis, nempe ſub Altaribus, non raro in Baptiſteriis (b) item in parietibus Eccleſiæ (c) quandoque in columba, quæ ex umbraculo altaris pendebat (d): Tum vero in columnis Eccleſiæ fornicem ſuſtinentibus (e) item in cruce turri impoſita (f) immo & in ipſis turrium angu-

lis

(a) Lib. I. cap. IX. § XI. pag 73. (b) De cryptis ſubtus Altaribus omnes nôrunt. De Baptiſteriis teſtatur Gregorius Turon. Hiſt. lib. X. cap ult. (c) Vide Mabillon. lib I. de Liturg. Gall. cap. IX. (d) Id citatus Mabillon loco citato probat ex Hermanni Monachi lib. III. de mirac. S. Mariæ cap. 25. Huc etiam ſpectare videtur illud Actuarij Murenſis: *In cryſtallo ſecundum columbæ ſpeciem formato habentur reliquiæ S. Agapiti.* (e) Vide Leonis Marſicani Chron. Caſſin. cap. XXX. (f) Idem ibid.

lis (a) nec non in imaginibus (b) *capellis* (c) capsis (d) & his *capellarum* nomine quandoque donatis (e) dein in armariis, alio nomine *turriculis* vel *ciboriis*, illis nimirum, quæ hinc inde parietibus adhærebant (f) demum in ipsis etiam defunctorum sarcophagis (g) recondebantur (1). Scimus etiam varios ritus circa ejusmodi loculos, capsas,

H tur-

(a) Idem denuo ibid. (b) Testatum id faciunt versiculi perantiquæ cruci, quæ in apside titularis Ecclesiæ S.Clementis in Urbe extat, adscripti:

- - - Jacobi dens Ignatiique
In supra scripti requiescunt corpore Christi.

(c) Sane olim ædiculæ ædificabantur, in quibus sacræ reliquiæ adservarentur. Prima haud dubie fuerit, in qua *Cappa* S. Martini Turon. Episcopi custodiebatur, unde postea & *capellarum* nomen derivatum fuit. (d) Has pridem in usu fuisse innumera testantur monumenta, & hoc ipso loco etiam Actuarius noster, cum ait: *in capsa autem, quæ stat super altare, &c.* (e) Inscriptio capsæ, à Carolo Rege per Salomonem Monachum ad S. Gallum missæ:

En crucis atque pia cum sanctis capsa Maria
Hanc Karolus summam delegit habere capellam.

Extat apud Eckehardum jun. cap. I., qui *capsam illam* ita apellatam putat, quod in *formam capellæ creata esset.* (f) Vide Ciampini synops. Hist. de ædificiis Constant. M. cap. IV. sect. VI. Tab. XXI. Litt. C D E. & sect. IX. pag. 75. 76. Item ejusdem Ciampini vet. monim. P. I. cap. XIX. pag. 181. Chron. Maleacense apud Labbeum Biblioth. vet. script. T. II. p. 197. & Ademari p. 178. &c. Nisi fallatur Mabillonius, & ciboria hinc inde ad parietes posita cum ciboriis altarium confundat, cum in præf. ad Liturg. Gall. posteriora hæc *armarium quadratum in summo* habuisse ait *ad asservandas reliquias*, dicendum quidem foret, quod aliquando etiam in ciboriis altarium asservatæ fuerint Ss. Reliquiæ: Sed hæc Adversarium non juvarent. Præterquam enim ejus rei exempla rarissima fuisse necesse sit, & altaria minora, quale illud S. Joannis erat, sæpe loco ciborij, umbracula tantum habuerint: quis nescit, veteres vocabulo *altare*, quo Actuarius noster hic utitur, non nisi mensam significâsse? ergo, si Actuario hic de reliquiis in sumitate ciborij reconditis sermo fuisset, dixisset utique: *in ciborio*, vel *in summa parte ciborij*, vel *in armario quod est supra ciborium*, non vero *in ipso altari continentur reliquiæ &c.* (g) Id discimus ex libro inventionis seu translationis S. Udalrici Episcopi Augustani, qui labente sec. X. obiit: *inventum est* (dicitur ibi) *corpus sanctissimi Confessoris .... inventa est etiam cistella ... plena & referta reliquiis sanctorum.*

(1) His adde, quæ in vita S. Benedicti Abb. Ananiens. leguntur: *Quidam frater* TABULAM SACRATAM, *in qua B. Dionysij erant reliquiæ aliorumque Sanctorum plantata, missus est ab alia cella ad aliam deferre.*

turreculas, ciboria, &c. aut decretos, aut ſponte inductos obſervatosque fuiſſe uſus; ſcilicet quomodo & qua ex materia conſtrui, ubinam ſtatui, cuſtodiri, quandonam tegi, retegi, ornari, expòni, *benedici*, thure ſuffiri debeant, prouti hæc omnia apud Scriptores Eccleſiaſticos, & præſertim apud Marteneum (a) legere eſt. Sed quodnam ex tanto omnis ævi monumentorum numero, quis ſacrorum rituum & antiquitatum Eccleſiaſticarum vel vetuſtior, vel recentior ſcriptor ullam reliquiarum in altaris *elevatione* reconditarum memoriam vel directe, vel indirecte ingerit? Legantur & relegantur omnia: Sponſionem noſtram interponimus, ne verbum quidem inveniendum fore, quod hunc reliquias cuſtodiendi uſum concerneret, jamjamque ſeculo XII., quo Actuarium noſtrum vixiſſe aliunde probatur, obtinuiſſe oſtenderet? Quod quidem minime miramur. Cum enim (id quod Adverſarij opinioni ſecundo loco obſtat) nulla per eas tempeſtates fuerit altarium elevatio, quem lòcum hæc præbuiſſet reliquiis? atqui rem ita ſe habere, ut agnoſcat Adverſarius, haud alio facto ei opus eſt, quam ut eadem monumenta eosdemque ſcriptores denuo conſulat; quippe apud quos tantum abeſt, ut expreſſa *elevationis* mentio unquam fiat, ut ejus ne quidem veſtigium ullibi òccurrat: Nempe quia tunc altare è *confeſſione* tantum & *ciborio* conſtabat. Porrò *confeſſio* diverſum habebat ſitum: Modo enim

à

(a) In opere tripartito de Antiquis Eccleſiæ ritibus. Item in alio de antiquis Monachorum ritibus.

à pariete remota erat (1) modo huic adhærebat. Quæ inde remota fuerat, illa (nisi jam aliunde cava esset, quia nimirum columnis tantum innixa (a) à parte posteriori plerumque fornicem habebat; eo quidem fine apparatum, ut (quemadmodum Ardo ait) (b) *in eo privatis diebus inclusæ tenerentur capsæ cum diversis reliquiis Patrum.* Supra *confessionem* erectum erat *ciborium*: Erat autem *ciborium* (inquit Catalanus) (c) *nihil aliud, quam conopæum altaris sive umbraculum, quo altare obtegebatur, quodque in forma turriculæ erectum in quatuor columnis* haud longe *à cornibus altaris* & quidem ab ipsa humo *exurgentibus incumbebat.* Quodsi altare tale *ciborium* non haberet, communiter receptum, quin immo & præceptum fuerat (d), ut super illud ex alto saltem aliquod *umbraculum* penderet, *forma* (inquit Cæremoniale Episcoporum) (e) *quadrata, cooperiens altare, & ipsius altaris scabellum, vel* (ut Concilium IV. Mediolanense habet) *Sacerdotem celebrantem.* En! quæ olim altarium structura, quæ partes fuerint: Nempe mensa (in cujus planitie privatis diebus crux &

H 2 can-

(a) Columnarum, quarum modo una; modo plures, nempe vel duæ, vel tres, vel quatuor, aut etiam quinque erant, passim occurrit mentio. Talia altaria etiamnum sec. XIII. in usu fuisse, patebit ex iis, quæ paullo inferius de altari quodam Ecclesiæ Reatinæ ex Ughello referemus. (b) In vita S. Bened. Anan. apud Mabill. in Act. Ss. O. S B. sec. IV. part. I. n. 26. (c) In Pontificali coment. illustrat. part. II tit. XVIII. § I. pag. 311. (d) Plura enim, quæ hanc rem concernunt, decreta legere est in synodis Episcoporum, & præsertim in Actis Ecclesiæ Mediolanensis & Conliliis à S. Carolo editis. (e) Lib. I. cap. XII. § XIII.

(1) Solebat enim circuiri. *Postea circuiens altare per gyrum aspergat & Presbyterium.* Ordinar. Bursf. *aspergat altare, & incipiens à dextra circumeat illud* lib. usuum Cisterc. *Ut intervallum post matutinos & ante primam . . . . eo proteletur spatio, quo fratres . . . . convenienter orando altare circuire possint.* Capitula Monachorum S. Galli edita à Mabill. in Act. Ss. O. S. B. sec. IV. part. I. pag. 742.

candelabra, festis autem & capsæ ponebantur) deinde ciborium vel umbraculum (post quod in pariete nonnunquam Sancti alicujus gesta depicta erant, vel, ubi talis pictura deerat, festis diebus velum pendebat) donec tandem augusta (vere dixeris) hæc forma sensim in illam, quam hodie præsertim in Germania conspicimus, desiit: id quod ante ultima hæc tempora factum non fuisse, inde colligitur, quod in quæcunque paullulum antiquiora monumenta incidas, nisi mensæ & *ciborij* vel umbraculi mentio recurrat (1). Ex his facile puto quilibet concludet, quid de Adversarij opinione tenendum sit: maxime si producta duo argumenta junctim expendere quis velit. Quis enim sibi persuadeat, quod, cum tot monumenta Ecclesiastica ex omni ævo nobis supersint, atque in his ipsis quælibet quarumvis ætatum consuetudines tam frequenter tamque accurate explicentur, nulla unquam aut uspiam neque elevationis, neque reliquiarum in ea reconditarum vel directa, vel indirecta mentio fieret, si illa olim vel in usu fuisset, vel reliquiis exornari consuevisset? Est igitur mera genuini sensus inversio, qua prætenditur, quod Actuarius noster hic de reliquiis non in *confessione* sed in *elevatione* positis loquatur. Quid enim? Murenses primi omnium ab antiquis usibus discesserint? Primi novos induxerint?

Ter-

(1) Antiquissimum, quod sciam, quodque ad hodiernam formam accedere videtur, est altare S. Wenceslai Romæ in Basilica Vaticana erectum ab Hyricone Olomucensi Episcopo, qui tempore Caroli IV. consequenter Seculo XIV. vixit. Quamquam fortassis olim longe alia fuerit hujus altaris forma, ab ea, quam Ciampinus in synops Histor. de ædif. Constant. M. tab. XXI. sistit; quia nimirum teste eodem Ciampino ibid. cap. IV. sect. V. pag. 66. col. 1. ab eo tempore, quo primitus conditum, jam denuo excitatum fuit.

Tertium, quod Adverſarij opinionem reprobat, eſt ipſa vox *altare*. Quis enim in veterum ſcriptis adeo peregrinus eſt, & hoſpes; ut neſciat, ipſos (ſi quidem de altari loquuntur) (1) hac vocula nihil aliud unquam niſi ſolam confeſſionem (quod quidem, cum illorum altaria, ſi umbraculum excipias, alias partes non haberent, minime mirum eſt) deſignaſſe (2)? Sed & hæc Actuarij verba attendere ſi quis velit: *Effrigimus* IPSUM ALTARE, *repoſitæ ſunt* IN IPSUM ALTARE, *continentur autem* IN IPSO ALTARI *reliquiæ*; qui fieri poſſit, ut non advertat,

(1) Dixi: *Siquidem de altari loquuntur:* quandoque enim hac voce etiam locum, in quo altare erectum erat, vel ipſam Eccleſiam, vel Eccleſiæ proventus deſignabant. Vide Cangij Gloſſar. & Hofmanni Lex. univ. v. *altare.*

(2) Nihil diſſimulant, qui veritatis amore tenentur. En igitur, quam mihi denuo formo objectionem tam contra præſens, quam contra antecedens ſive ſecundum meum argumentum. Apud Mabillon. Act. Ss. O. S. B. Sec. IV. Part. I. p. 200. in vita S. Benedicti Abbatis Ananienſis (qui Sec. IX. floruit) ſcripta ab Ardone ejus diſcipulo legitur, ſanctum virum *in altari, quod potiſſimum præ cæteris videtur, tres aras cenſuiſſe ſubponi, ut in his perſonalitas Trinitatis typice videatur ſignificari. Et mira diſpoſitio* (pergit vitæ ſcriptor) *ut in tribus aris individua Trinitas. & in uno altari eſſentialiter firma demonſtretur Deitas* Quomodo hæc intelligenda? Haud dubie (dicet aliquis) *altare* hic elevationem ſeu eminentiorem, *ara* confeſſionem ſeu inferiorem partem denotat: Ergo falſum eſt, & quod altare ſolam confeſſionem ſignificet, & quod olim nulla fuerit altarium elevatio. Non ſpernenda interpretatio! quippe quam verbum *ſubpono* plane requirere videtur: Sed hunc locum egregie explicat ſermo in ipſiſſimi hujus altaris ac Eccleſiæ Dedicatione dictus, & à citato Mabillonio pag. 225. relatus. Legimus ibi: *Adeſt hic ara triplex* SOLIUS COLUMNE UNITATE SUBNIXA, *ſignificans Trinitatis unitatem.* Hinc conſequens eſt, quod Ardoni *ara* menſam, *altare* menſæ ſtipitem ſignificet: Ut ſenſus ſit, ſanctum Benedictum equidem unam tantum confeſſionem extruxiſſe, ſed tres menſas eidem impoſuiſſe, alteram quidem alteri *ſubpoſitam.* Ubi nota diſtinctionem, quam veteres inter *altare* & *aram* fecerunt. Nempe *ara* planam, *altare* altam confeſſionis partem ipſis ſignificabat. *Altare* (inquit Durandus in ration. Lib. I. cap. 11. n. 2.) *quaſi alta res, . . . ara quaſi area ſ. plana.* Hanc diſtinctionem agnoſcit etiam Voigtus in ſua Thyſiaſteriologia cap. III. § II. ex Prudentio, qui Hymn X. de S. Romano pag. 126. inter facinora Aſclepiadæ præfecti gentilis adverſus Eccleſiam refert: *Altaris aram funditus evertere.* Ergo ex allegato Ardonis loco non probatur, quod tempore S. Benedicti Anan. altarium elevatio aut fuerit, aut nomine altaris venerit.

scriptorem constanter quasi digitum in mensam altaris intendere; quippe cum constanter idem vocabulum eodem adfectum pronomine demonstrativo usurpet? adde, quod, si ei de reliquiis in *elevatione* repositis sermo fuisset, utique non dixisset: *Sicut ego ipse vidi, & audivi*; sed: *Sicut cuilibet patet*, vel; *Sicut cuilibet intueri licet.* Nam quid ineptius, quam super re quovis tempore cuilibet conspicua; ut quod dies sit, sol luceat, herbæ virescant, hosce oculos testes advocare, ac si arcana neminique visa aut videnda narrares? Patet ergo Actuario hoc loco sermonem esse de reliquiis, non quæ in elevatione, sed quæ in confessione reconditæ fuerunt. At utique istas jam antea percensuit. Distinguo: Percensuit aliquas, concedo: Percensuit omnes, nego. Quæres, cur ergo, si & hæ reliquiæ in altaris confessione repositæ fuerunt, cur, inquam, has non una cum prioribus enumeraverit? Respondeo, quod, nisi voluntas pro ratione steterit, haud dubie ideo non omnes conjunxerit Actuarius, quia neque in ipso altari conjunctæ fuerunt. Sciendum enim est, olim (& quidem adhuc post ævum Actuarij) reliquias non solum in media, sed & in dextra & sinistra altaris seu confessionis parte locari consuevisse. Id quidem nos docet antiqua memoria manuscripta consecrationis Ecclesiæ Reatinæ peractæ an. 1225. extatque apud Ughellum (a): ubi inter alia legimus: *Subtus altari majori est corpus B. Barbaræ: Pars corporis S. Dionisij Patris S. Pancratij Martyris. In prædicto altari recondita sunt à dextris prædicti altaris de vestimentis B. Mariæ, de reliquiis*

(a) Ital. Sacr. Tom. V. edit. pr. pag. 1530.

quiis Ss. Innocentium &c: à sinistris vero reconditæ sunt Ss. reliquiæ Ss. Abraham & Isacc, S. Victorini, Ss. Nerei & Achyllei &c. In columna vero media reconditæ sunt hæ reliquiæ: De vestimentis B. Mariæ Virginis, de reliquiis Apostolorum Petri & Pauli, S. Laurentii, Zachariæ Patris S. Joannis Baptistæ &c. Afferri possent & alia hujus ritus exempla, quæ passim apud scriptores Ecclesiasticos, ubi de dedicationibus Ecclesiarum agunt, occurrunt: Sed hæc vel ideo non moramur, quod sive reliquiæ nostræ in eodem sive in diverso loculo reclusæ fuerint, illud semper certum sit, eas non in elevatione (quippe quæ tempore Actuarij neque in more fuerat, neque reliquiis ditari consueverat) sed in ipsa confessione (prouti Anonymus noster satis ipse declarat) reclusas fuisse; adeoque videri non potuisse, nisi ante vel sub altaris consecrationem, & (quod hinc rursum consequens est) ab eo tantum, qui Abbati Ronzelino, utpote sub quo consecratio facta est, æquævus fuit.

Antequam ad alia progrediamur, expendere juvat, quomodo, cum præsens argumentum jam olim à Peireskio productum fuerit, quomodo, inquam, & Pater Herrgottus in eo sit versatus, vel potius quomodo hunc Adversarius, etsi quoad rem ab ipso discedat, adhucdum defensum velit. Ergo ex mente P. Herrgotti Peireskius *irrito conatu probare vult, scriptorem Actorum Murensium jam sub Ronzelino Abbate vixisse. Certe* (inquit Cl. Pater (a) loci *contextus*, ad quem *Peireskius provocat, id minime, quin imo contrarium* probat. *Adeamus* locum ipsum *ab illo* allegatum. *Extat*

(a) Proleg. III. § VIII.

tat is pag. 34., *ubi legitur* : „ Sed quod altare male compoſitum fuit ſub Abbate Rœzelino, effrigimus ipſum altare, & ſicut modo eſt collocavimus. Cumque ad reliquias ipſas perveniremus, penitus ex humore terræ computruerunt, ac nichil invenimus, niſi quoddam os, & pulverem „. *Ex quibus verbis* (ſubdit P. Herrgottus) *Peireskius inferre non dubitat de ſcriptore Actorum* : „ vixit *inquiens* ante annos fere quingentos, nimirum, ut ipſe teſtatur, ſub Ronzelino Abbate. „ *Cum econtra ego . . . ex recitatis modo ipſius ſcriptoris verbis rite concludam* : *ſcriptorem hic vere de Ronzelino loqui tanquam de viro, qui longiſſimo ante tempore jam mortuus fuiſſet ; ſiquidem altare à Ronzelino male compoſitum ſcriptoris ævo effringere, & in aliam formam redigere opus erat : tantum vero temporis intervallum interceſſit inter fabricam Ronzelini, & novam exædificationem altaris, ut ſcriptoris ævo . . . . reliquiæ ibidem collocatæ ex humore terræ computruerint.* Eloquar, an ſileam, quod ſentio ? Non ignoro utique, nihil eſſe, quod *male narrando non poſſit depravarier* (a) : at quis unquam ita Adverſarij ſui argumentum eludere conatus eſt, ut hic illud Peireskij eludere conatur P. Herrgottus ? Lectores judicent ; mihi fas ſit (ſiquidem Adverſarius id ita vult) veritatem detegere. Primo igitur Cl. Pater contra & hiſtoriam, & (quod turpius eſt) ſuammet editionem comma, quod poſt verbum *fuit* ponendum erat, poſt ſubſtantivum *Rœzelino* locat. Quid porrò ? Nempe ne hæc ipſa fraus pateret, etiam textum *data opera* (ſic Auctor Vindiciarum, neque nunc mutamus) da-

(a) Terent. in Phorm.

data, inquam, opera mutilat. Non imus quidem inficias, jamjam in editione Peireskiana pro *quia altare male compositum fuit, sub Abbate Ræzelino effrigimus ipsum altare*, per errorem typi perperam transposito colo legi: *Quia altare male compositum fuit sub Abbate Ræzelino, effrigimus ipsum altare*: Itane vero hac in re versari decebat P. Herrgottum, ut errorem hunc non solum non notaret; sed, quem sibi ad ætates Ronzelini & Actuarij longius intervallandas patrocinari putabat, contra suæmet editionis sensum hic amplecteretur? Omnino equidem (respondet Adversarius) (a) *verba adduxit Peireskius, eadem Peireskio verba, nec alia reddi debuerunt.* Lectori, bene, recte! nam quid aliud hoc est Rev. Pater! quam dicere, licuisse P. Herrgotto veritatem occultare, argumentum eludere? Sed *quî fieri potuisset* (inquit Adversarius) (b) *ut* P. Herrgottus *propria potius, quam aliena editione, cum Prolegomenon illud tertium scriberet, uteretur; siquidem illud velut in fronte operis, Acta contra in calce ejusdem libri exscribi debuerint?* Rev. Pater! si minus sua editione uti poterat, poterat saltem, ne dicam integrum contextum & Historiam, sed manuscriptum suum prælo utique jam paratum consulere. At libri jam impressi, inquis, faciliorem præbent usum, quam manuscripti, utpote plerumque nondum ligati & complicati, nec non grandiores etiam. Frustra quæsitum effugium! si enim molestius est libros manuscriptos, quam impressos consulere, cur hæc molestia sese hic tantum obtulit, & non alibi, puta in reliquis Prolegomeni tertii Paragraphis; ubi, quotiescunqne

(a) Lib. I. cap. IX. § V. (b) Ibidem § IV.

textus aliquis ex Actis citandus eſt, eum P. Herrgottus nunquam ex editione Peireskiana vel alia aliqua, ſed ſemper ex proprio manuſcripto citat (1)? Nonne vel hinc ſatis patet, quam parum ingenue hic cum Peireskio, immo cum toto orbe erudito agere conſtitutum ei fuerit? Sed ſcire cupit Adverſarius (a) qua ſubnixus vel auctoritate vel ratione Vindex noſter exigat, ut dictum inciſum poſt verbum *fuit* potius, quam poſt verba *Abbate Ræzelino* collocetur: quandoquidem Authographum ipſum nullis commatis diſtinguitur? In promptu eſt reſponſio: auctoritate Patris Herrgotti, qui illud in ſua editione poſt *fuit* non poſt *Ræzelino* ponit; ratione autem P. Ruſteni, qui paullo poſt hæc (b) ingenue fatetur, ipſam Hiſtoriam id exigere: quod quidem, ut mox oſtendemus, veriſſimum eſt. *Conſiſtit ergo tota emendatio* (inquit porrò Adverſarius) (c) *in retractione unius commatis; nec culpatur P. Herrgottus, quod textum male ediderit, ſed quod illum male & ſecundum mendoſam Peireskij editionem citaverit; &* HINC ILLÆ LACHRIMÆ. Eho! ne rem nimium extenues, cave: Sat magnus error, qui ſat malas trahit conſequentias. Contortula ſyllaba (verbis Huetij utor) (d) perturbata litterula, apex loco motus, mutationes leviſſimæ quam peſtiferas ſæpe pepererunt hæreſes? Quot ſpiſſi errores ex uno ambigue dicto fuère prognati? In parvo igitur errato magnum ſæpe peccatum: à quo certe P. Herrgottum non ex-

(a) Cit. § IV. (b) § VI. pag. 68. (c) § III. pag. 65. & 66. (d) De interpretatione lib. I.

(1) Citat enim textus per paginas Authographi: Atqui in nulla niſi ſua editione adnotatur, ubi quælibet Authographi pagina vel incipiat, vel finiatur: Ergo textus ex ſua non aliena editione, vel certe ex ſuo manuſcripto citat.

excusat, quod errorem non tam admiserit, quam tulerit: Quid enim interest, ipse illum admittas, an ab alio admissum feras, tuumque in commodum maligne convertas? Sed quid Adversarius porrò dicat, audiamus. Atqui perquam acerbe querulatur (a) quod Auctor Vind. tantum non aperte dicat, P. Herrgottum hic mala fide egisse, textumque studiose mutilâsse. Tantum non aperte? Parcit Adversarius, ubi mitius haberi minime volumus. At quis amabo (pergit) in animum possit inducere suum, P. Herrgotto unquam in mentem venisse; ut hic textum, quem præter Peireskium & Eccardum ipsemet alibi amplissime exhibet, data opera mutilaret? Hem exquisitam purgationem! nam quotus quisque mutilator hoc ipso scuto sese defendere non possit? Quid est textum truncare, & data quidem opera truncare, nisi, quæ ad rem pertinent, sed, si ponantur, tuam sententiam eversura fore persentis, omittere? atqui hoc ipsum est, quod P. Herrgottus facit: recte igitur studiosæ mutilationis accusatur. Sed hæc de his dicta sufficiant: nolumus etiam pluribus aliis vanis, quæ Adversarius hinc inde adhuc quærit, effugiis immorari: sufficiat ostendisse, quam longe longeque aliam faciem induat hic Actuarij textus, si integer ponatur. *Effrigimus*, inquit, *ipsum altare, & sicut modo est collocavimus: Cumque ad reliquias ipsas perveniremus, penitus ex humore terræ computruerunt; ac nichil invenimus, nisi quoddam os: Sed pulverem, ita ut invenimus, collegimus, ac cum reliquiis S. Marci &c.* RURSUM REPOSITÆ SUNT EÆDEM RELIQUIÆ IN IPSUM ALTARE

(a) Cit. Lib. & cap. § II.

AB UODALRICO II. EPISCOPO CONSTANTIENSI. *Continentur autem in ipso altari*, SICUT EGO IPSE VIDI, ET AUDIVI, *reliquiæ &c.* Ex his verbis discimus primo (& quidem ex mente ipsius P. Herrgotti) altare male compositum scriptoris ævo effringere, & in aliam formam redigere opus fuisse: 2do. reliquias illas in effracto altari inventas ab Udalrico II. Episcopo Constantiensi ibidem denuo fuisse repositas: haud dubie ergo Actuarius eodem, quo Udalricus, tempore vixit: atqui Udalricus coævus erat Ronzelino (a): Quidni ergo & Actuarius huic coævus fuit? Hoc profecto ex præmissis necessario sequi videtur. *Minime*, inquit P. Herrgottus: *quin mox sequentia verba, quibus Anonymus Murensis ait*: „ Continentur autem in ipso altari, sicut ego ipse vidi „ & audivi, reliquiæ &c. „ *indicant, reliquias anteriori tempore ab Udalrico Episcopo repositas, scriptori postmodum visas esse.* Qua ratione amabo! *eadem reliquiæ*, puta idem ille *pulvis*, idem illud *os*, quæ in altari, dum hoc ævo Scriptoris (ut ipsemet P. Herrgottus admittit) effringere opus esset, inventæ fuerunt, in hoc ipsum altare denuo constructum, ab Udalrico, qui ante Ronzelinum decessit (b) *rursum reponi* potuerunt, si Actuarius demum post multos à Ronzelini morte annos vixit? En igitur quam longe alius atque diversus fuisset hujus loci sensus; item quam nullo modo licuisset P. Herrgotto, comma illud, quo vellet, loco ponere, si tex-

(a) Præerat enim Ronzelinus Monasterio Murensi ab anno 1119. usque ad annum 1145., Udalricus autem Ecclesiæ Constantiensi ab anno 1128. usque ad annum 1138., quo se Episcopatu abdicavit. Vide Gall. Christian. Tom. V. pag. 913. & 1038. (b) Nam juxta cit. Gall. Christ. obiit A. 1141. cum contra constet Ronzelinum demum A. 1145. obiisse.

textum integrum afferre voluiſſet. Si enim altare S. Joannis tempore Actuarii effractum fuit; hic autem cum Ronzelino (quia cum Udalrico Epiſcopo Conſtantienſi II.) vixit: Ergo legendum: *Sed quia altare* ſub Abbate Uodalrico, qui illud primitus erexit, *male compoſitum fuit, ſub Abbate Rœzelino effrigimus ipſum altare*; minime vero: *Sed quia altare male compoſitum fuit ſub Abbate Rœzelino*, longe poſt tempora Rœzelini *effrigimus ipſum altare*: Niſi dicere velis, altare iſtud ſub ipſius Ronzelini plurium annorum regimine iterato effractum, aliterque collocatum fuiſſe: Quod prætterquam gratis diceretur, etiam aliunde parum curamus: Semper enim inferre debebis, ſcriptorem Murenſem ſub Abbate Ronzelino vixiſſe; niſi illud paradoxum & tu velis admittere, nempe (inquit Vindex noſter) (a) *Altare quidem effractum ævo ſcriptoris, hoc eſt, juxta Chronologiam P. Herrgotti Seculo XIII., ſed reliquias in hac effractione repertas una cum aliis in ipſum altare ab Udalrico Epiſcopo rurſum repoſitas eſſe tempore longe anteriori, videlicet Seculo XII. Accuſatur ergo P. Herrgottus* (ſubdit P. Ruſtenus) (b) *quaſi qui adeo fœdum commiſiſſet Anachroniſmum . . . .; cum tamen nihil tale hic commiſerit. Non enim verba Murenſis ſcriptoris tanquam teſtis oculati propoſuit, ſed ut ſcriptoris ſubſecuti* Nolumus ad hæc ridicularia quidquam reſpondere; id unum monitum velimus, caveat Adverſarius, ne cinerem vitans in carbonariam incidat. Non vult ut P. Herrgottum Anachroniſmi accuſemus: Patiatur ergo, ut ſaltem dicamus virum, qui nequiverit verum, etiam ubi perſpicue obtulit, intueri.

II.

(a) Lib. I. cap. VIII. pag. 52. (b) Cit. lib. & cap. § VIII.

II. Tandem eo devolvimur, ubi Adverſarius, quod opponeret, jam neque ingenio neque induſtria invenire potuit. Eſt autem præſens hoc atque ultimum argumentum, quo Actuarium Murenſem jam ſeculo XII. floruiſſe Vindex noſter probat, ex eodem fonte hauſtum, ex quo proxime antecedens, ſcilicet ex ipſo Actorum contextu. Verba Actuarij ſunt (a): *Poſtea venit quidam miles nomine Eglolf*, NOSTER AMICUS, *filius Eglolſi de Lenzburg*, *& emit ipſum predium . . . , ſtatimque reddidit illud ſuper altare ſancte DEI Genitricis Marie . . . ;* RECEPITQUE ILLUD AB ABBATE ROEZELINO IN JUS PRESTATIONIS . . . *Ad inſuper firmiter ſtatuit, ac illi inſicem Abbas cum Congregatione confirmavit, ut cenſus, qui inde venerit, id eſt, talentum Thurricine monete*, QUEM IPSE DEBET PER SINGULOS ANNOS IN NATIVITATE S. CORNELIJ DARE, *nunquam minueretur*. Scripta hæc eſſe nemo dubitabit eo tempore, quo donator adhuc ſuperſtes ex prædio illo, quod in jus præſtationis ab Abbate Ronzelino receperat, annuum cenſum ipſe adhuc *dare debebat*, adeoque circa medium ſeculum XII. Hanc ſuam ætatem Actuarius alibi quoque ad oculum probat, ubi nimirum ait (b): *In Acharlon habemus duos agros : Uxor Adelbercti Comitis* (nempe ſecundi, qui, ut idem ſcriptor teſtatur, ſub annum 1140. deceſſit) (c) *nomine Judenta dedit S. Martino. Ad Muſchon ſex manſos*, QUOS UTRUM ILLI AUFERAT, AN DIMITTAT, INCERTUM EST. Nihil videt, qui non videt, Actuarium noſtrum, qui hæc ſcripſit, Judentæ æquævum fuiſſe, ac proinde non demum ſeculo XIII. & hoc quidem medio, ut P. Herr-

got-

(a) Edition. Mur. pag. 84. (b) Ibidem pag. 91. (c) Ibidem pag. 90.

gottus voluit, ſed circiter medio XII^no., quippe quo Judenta cum conjuge Adelberto vixit, & devixit, floruiſſe. Quodſi ita: Ergo duo erant Actorum ſcriptores, alter quidem & primævus homo ſeculi XII^mi., alter, qui brevem tantum appendicem addidit, homo ſeculi XIII^tij. Ad hanc ſcriptorum noſtrorum pluralitatem delatos audire juvat, quibus permotus rationibus jam & ipſe Adverſarius eam admittat. *Primum momentum* (inquit) (a) *eſt ipſa, quam unice quærimus, rei veritas. Secundo me movit ipſe P. Herrgottus, quem cum viderim facile concedere Peireskio, Tabulam Genealogicam Actis præfixam duorum eſſe Auctorum, multo minori cum difficultate eidem contendenti conceſſurus fuiſſet, etiam appendicem illam Actis adjectam, alterius eſſe Auctoris. Etſi porrò tertio exinde conſectarium fiat: Actuarium ſcriptorem eſſe Seculi XII. alterum Seculi XIII., nihil obeſt ſententiæ P. Herrgotti, tum, quod concedendo ſemel duos eſſe tabulæ præfixæ Auctores per ſe conſectarium ſit: Alterum hujus, alius ætatis eſſe alterum; tum, quod parum referat, cujus ætatis Auctor quiſpiam fuerit, modo de ejus authentia non ambigatur. His adde, nos quidem invicte demonſtraturos, Auctorem totius Genealogiæ certo certius unicum ab Actuario diverſum fuiſſe, unde ſententiæ P. Herrgotti eo minus decedet, quo certius eſt, non tam de ætate & authentia Actuarij, quam de Genealogo præfixo controverſiam agitari.* Atque *hæ ſunt* (pergit) (b) *nonnullæ rationes quibus permoti tenemus, Acta Murenſia, ſeu illam codicis Murenſis partem, quæ à verbis* Locus iſte Mura &c. *usque ad verba,* nunc ergo ſicut nos &c. *excurrit, eſſe Seculi XII. . . .*

EX

(a) L. I. c. XI. § III. (b) Ibidem § IV.

EX IISDEM AUTEM RATIONIBUS FACILE PRÆEMINET IPSA VERITAS, CUI QUIPPE UBIQUE LITANDUM EST. Hactenus Adversarius, cujus quidem ipsissima verba adducenda fuerant, ne, sententiam corrupisse videamur, si eam aliis brevioribusque verbis exprimeremus. Ergo P. Rustenus quatuor rationes affert, unde, quam prætendimus, scriptorum pluralitas evincatur. De prima, non est, cur multa dicamus, quippe cum nemo sit qui ex præcedentibus non illico advertat, quid de ea tenendum sit. Reliquæ tres rationes, ni fallor, huc redeunt; quod, quamquam scriptorum pluralitas admittatur; hæc tamen concessio P. Herrgotto nihil obsit. Quid? si hæc pluralitas P. Herrgotto quidquam incommodi fuisset allatura; an P. Rustenus eam non admisisset? utcunque equidem; at nunc tanto lubentius, quo pluribus atque firmioribus ex causis. Audiamus ergo denuo tales istas, ac tantas rationes. Prima est, quod P. Herrgottus huic sententiæ *non admodum adversetur*: altera, quod hæc sententia sententiæ P. Herrgotti *non obsit:* tertia quod per hanc sententiam sententiæ P. Herrgotti *nihil decedat:* atqui *ex his rationibus facile praeminet ipsa veritas:* puta, quod duo sint Actorum scriptores. Egregie! si superis placet! nam quid ad rei veritatem vel falsitatem facit, quod hæc sententia P. Herrgotto, aut P. Herrgottus huic sententiæ non adversetur? idem ne est non incommodum & verum, incommodum & falsum? (a) *sed hac ex logica adversarij?*

CAPUT

(a) Lib. I. cap. X. § III. in fine.

CAPUT III.

Disquiritur, quot sint Codicis Murensis Scriptores.

DUos esse Actorum Murensium Auctores, secus ac P. Herrgottus sensit, ex iis, quae Capite praecedenti diximus, manifeste relinquitur, neque jam ab ipso Adversario in dubium vocatur. At nunc in quaestionem venit, utrum & Genealogia Actis praefixa pluribus adscribi debeat, & si res ita se habeat, an, qui Acta iidem & Genealogiam concinnaverint. Utrumque affirmat Auctor Vindiciarum, utrumque negat, Adversarius quem igitur desuper audiamus oportet.

§ I.

1. QUod primo loco probare habemus, schema nimirum Genealogicum Actis Murensibus praefixum à duobus congestum esse, quorum prior primas, alter alteras quatuor generationes contexuerit, id Peireskius (a) & post hunc Auctor Vindiciarum (b) hinc conjecerunt, quod schematis hujus Genealogici pars prior longe alio stylo concepta sit, ac posterior. Nam primo in parte superiore uxores (si Itam excipias, à qua stemmati Habsburgico initium) lineae rectae propagatoribus nunquam adjunguntur, sed dicitur tantum: *Wernherus genuit Ottonem, Otto genuit Wernherum, Wernherus genuit Adelberctum:* Cum contra in reliquis generationibus, quae ab hoc Adelberto subsequuntur, sua sem-

K per

(a) In praef. ad Act. (b) Parte I. cap. X. pag. 7. & cap. XVII. pag. 12.

per marito addatur conjux, hac quidem ſpeciali loquendi formula: *Alberctus genuit per Itam, Ruodolphus per Agneſam, Alberctus per Heilvvigam, Ruodolfus per filiam Luitoldi*. Secundo Genealogus ille, quas in prima ſchematis parte adducit, fœminas ſemper maritorum cognominibus diſtinguit: Itam *de Habspurg*, Richenzam *de Lenzburg*, Itam *de Thierſtein*, Richenzam *de Chiburg*, Gertrudem *de Mumpelgard*, Richenzam *de Fierrito*, cognominando, quod continuatori non ita placuiſſe conſtat; cum aliam dictionis formam uſurpare maluerit, & fœminis (ſi unam excipias) ſemper paternum cognomen imponat: Ut *per Itam de Pfullendorf filiam ſororis Ducis VVelph, per Agneſam filiam Goetfridi de Stouffen, per Heilvvigam filiam Uolrici de Chiburg, per* (Gertrudem) *filiam Luitoldi de Reginsberg*. Attentis hiſce differentiis, quis non ad conjecturam duorum Auctorum evadat? Verum cum ingenia judiciaque aliorum noſtris mutare oporteret, ſi noſtras aliis perſuadere vellemus ſententias: En! qua ratione Adverſarius hoc argumentum ex ſtyli differentia deſumptum evertere conetur.

II. Prævie advertit (a), quod ſi ea de cauſa duos Genealogiæ Auctores ſtatuere liceret, quia prior ejus pars maritorum, altera Parentum cognonimibus fœminas diſtinguit, etiam Genealogia S. Arnulphi (quod tamen adhuc nemini incidit) pluribus adſcribenda foret; quippe quæ *eodem modo* concepta ſit: cum nunc per fœminas (*Anaſledes Regina Gothorum genuit filios &c.*,) nunc per mares (*Clotharius genuit filios, &c.*) paul-

(a) Lib. I. cap. XI. § VII.

paullo poſt iterum per fœminas (*Beatrix genuit Theodoricum, &c.* ducatur. Verum recte & providenter facit Adverſarius, quod hoc argumentum ipſe non magni habeat; quandoquidem in Genealogia Arnulphiana non ſolum non eandem, quam in noſtra; ſed nullam prorſus ſtyli differentiam obſervare liceat. Non quidem eandem; quia differentia, quam in Genealogia Arnulphiana deprehendere ſibi videtur in eo conſiſtit, quod aliquæ generationes à fœminis, pleræque autem à maribus ducantur: quæ vero in Murenſi obſervatur, in eo poſita eſt, quod fœminæ modo maritorum, modo parentum cognominibus diſtinguantur; Non alia quæcunque, ut itidem quivis advertit, niſi plane ignoret, in quo ſtyli differentia conſiſtat. Præterquam enim in hac Genealogia, cum quædam generationes à fœminis, quædam à maribus ducuntur, id confuſe tantum, & permiſte fiat; quæſo! quæ ſtyli varietas, cum Scriptor aliquis liberos, qui ab hoc vel illo Protoparente per patrem deſcendunt, à patre, qui vero per matrem inde deſcendunt, à matre deducit? atqui hoc modo ſe res habet, in Genealogia Arnulphiana, ut cuilibet eam legenti patet. Miſſa facimus plura alia, quæ hanc Adverſarij objectionem everterent: monere tamen debemus, ut, quæ modo diximus, dicta quoque putet in numerum ſuum decimum, ubi denuo tale quidpiam objicit.

III. Accedimus nunc ad capita rationum, quibus hanc noſtram ſententiam de pluribus Genealogiæ Murenſis ſcriptoribus infirmare adnititur Adverſarius. Pri-

mum ac præcipuum eſt, quod juxta communem doctorum virorum perſuaſionem fallax omnino atque labile ſit criterium de veterum ſcriptis ſolo ex ſtylo judicandi (a). Quinam ſint plurimi illi viri docti, non explicat, nobis puto illorum conquirendorum curam relinquens, quam quidem acceptamus, minime vero in ſuam rem, ſed noſtram: adeo multi, ne dicam innumeri, ſunt, qui ei adverſantur; ex quorum numero tamen non plures allegabimus, quam quos cuilibet hac in re peregrino paullo melius informando ſufficere exiſtimabimus. Agmen nonnulli Patres Eccleſiæ ducant. Ex his Auguſtinus (b): *Stylus S. Cypriani habet quandam propriam faciem, qua poſſit agnoſci.* S. Gregorius Nazianzenus ad Nicobulum (c) ait: *Quemadmodum cum ingenuo partu, ita cum oratione Pater una ſemper apparet, non minus quam ii, qui procrearunt, corporeis notis ut plurimum innoteſcunt.* S. Hieronymus ad Rufinum (d): *Præfatiuncula librorum ad me miſſa eſt, quam ex ſtylo intellexi tuam eſſe.* Idem S. Doctor Minutio Felici Cauſidico librum de Fato abjudicavit, haud alia (ut ipſe fatetur) (e) ductus ratione, quam quod opuſculum hoc cum ejuſdem Auctoris alterius libri ſtylo non convenire videretur. Patribus ſuccederent magno numero ſcriptores Romani: ſed denuo paucos inducimus. De Varrone teſtatur Gellius (f) quod, cum dubium eſſet, an quædam Comœdiæ Plautum haberent Auctorem, Varro adductus ſtylo atque facetia ſermonis Plauto congruentis, easque jam aliorum nomi-

(a) Cit. lib. & cap. § VIII. (b) Epiſt. 48. (c) Epiſt. 208. (d) Epiſt. 66. (e) De Script. Eccleſ. cap. 68. (f) Lib. 3. cap. 3.

minibus occupatas Plauto vendicârit; *neque alius quisquam* (pergit Gellius) *non infrequens lector dubitaverit.* De Julio Cæſare teſtatur Cicero (a) quod, cum peracri judicio eſſet, facile diceret: *hic verſus Plauti non eſt, hic eſt*: item, ſi quid afferretur ad eum pro Ciceroniano, quod Ciceronianum non eſſet, eum id rejicere ſolitum fuiſſe. De ſe ipſo ait idem Cicero ad Volumnium (b): *Quod ſine prænomine ad me epiſtolam miſiſti, primum addubitavi, num à Volumnio eſſet: Deinde eutrapelia litterarum fecit, ut intelligerem tuas eſſe.* Huc ſpectat illud Martialis:

Quid titulum poſcis? verſus duo treſve legantur;
Clamabunt omnes, te, liber, eſſe meum. (c)

Recentioris ævi viros eruditos, qui P. Ruſteno adevrſantur, ſi quis enumerare vellet, næ ille dicendi finem vix faceret. Ad paucos ut redeam, qua ducti ratione Savilius, Frontoducæus, Tillemontius, Montefalconius (magna nomina) Homiliam *de deſcriptione Deiparæ* Chryſoſtomo abjudicârunt? audi Montefalconium (d): *Stylus non inventionem, non profluentem orandi modum, non ſimilitudinum frequentiam, non popularem doctrinam Chryſoſtomi præfert.* Haud aliam ob cauſam hic idem vir eruditiſſimus plures alias Homilias, ſcilicet pleraſque ex tredecim illis à Tayloro Anglo ſibi ſubmiſſas (e) item illas *de Chriſto paſtore & ove, de Spiritu Sancto, de adoratione Crucis, de confeſſione Crucis, &c.* Chryſoſtomo abjudicavit (f). Ejuſdem principij lumine plurima alia, quæ in veterum ſcriptorum tam ſacrorum,

 quam

(a) Lib. 9. ad Famil. ep. 9. (b) Lib 6. ep. 32. (c) Epigr. lib. 12. (d) Tom. II. operum S. Jo. Chryſoſt. pag. 799. (e) Eorundem operum Tom. XIII. p. 185. (f) Tom. III pag. 797. & ſeqq. usque ad 825. & paſſim in aliis Tomis.

quam profanorum libros irrepsère, & lapso & currente seculo ab accuratioribus criticis expuncta fuerunt. Sic Tillemontium sola styli diversitas terruit, quo minus librum ad Novatianum Cypriano adscriberet: sic Erasmus, Pomellius, Clericus plura alia eidem Cypriano & Ignatio abjudicârunt, sola styli discrepantia permoti: sic Lipsius, Pichena, aliique dialogum de causis corruptæ eloquentiæ Taciti esse negârunt, haud alia ducti ratione, quam quod stylus Tacitum abnueret: *Non fallax* (verba sunt Lipsij) (a) *in hoc genere argumentum.* Non omittendum hoc loco viri clarissimi Fortunati à Brixia judicium, qui cum varia observâsset, unde styli diversitatem statuere liceat, tandem ait (b): eam *argumento esse, si non certo, vel maxime saltem probabili diversi Auctoris*: Quocum & Ziegelbauerus facit: *nihil est*, inquiens (c), *quo scripta SS. PP. attributa melius deteguntur, atque styli, cogitationum, ac modi eas exprimendi diversitas.* At teste Mabillonio (d) inter Desiderium Erasmum, & Jacobum Billium acriter disputatum est, an quædam Homiliæ Chrysostomum haberent Auctorem, illo negante, eoquod in iis nihil viderit Chrysostomi, hoc affirmante, eoquod nihil melius phrasin Chrysostomi referat. Inepta objectio! quis enim hinc inferat, quod Adversarius illatum vult, nempe viros hosce eruditos in ea fuisse sententia, ut existimarent, ex styli conformitate vel discrepantia nihil statui posse? nemo utique tam hebes fuerit, ut non advertat, eos potius pro nobis, quam contra nos facere; si enim alteruter eorum vel uter-

(a) Apud Gronov. op. Taciti Tom. II. pag. 814. (b) Log. part. II. pag. 120. (c) Histor. rei litter O. S. B. part. II. pag. 467. (d) Tract. de stud. monast. part. II. cap. XIII.

uterque in ſententia Adverſarij fuiſſent, eccur multis diſputâſſent, an Homiliæ illæ Chryſoſtomum ſaperent, an non? quidni ſibi mutuo reſpondiſſent, ex ſtyli conformitate, vel diſcrepantia nihil concludi? ſaltem, (inquis) (a) Mabillonius nobis adverſatur. Verùm Mabillonius nullibi, quod ſciam, negat, ex ſtylo plurimum probabile argumentum duci pro unitate vel diverſitate auctorum; ſed tantum dicit: *ſtyli conformitatem ſeu diſcrepantiam illud uſquequaque medium non eſſe, unde certo dignoſci, ſtatui, judicari*: paucis *logice demonſtrari poſſit, cuinam auctori opus quoddam adſcribi debeat* (b). Viro ſum̃o eandem, quæ nobis eſt, mentem fuiſſe, cum ex ipſiſſimo illo loco, quem Adverſarius pro ſe excitat, tum inde adhuc ad oculum patet, quod & ipſe quasdam Epiſtolas S. Bernardo abjudicârit, non alia inductus ratione, niſi quod ſtylus Bernardum non ſapiat (c). Male ergo calculum ducit Adverſarius cum com̃unem doctorum virorum ſententiam eſſe dicit, fallax omnino, atque labile eſſe criterium, de veterum ſcriptis ſolo ex ſtylo judicandi; quippe cum potius omnium ſententia ferat, ſtyli diverſitatem, ſi non certo, plurimum ſaltem probabili argumento eſſe diverſi auctoris. At ecce novum arietem!

IV. Styli, quam prætendimus, diverſitas (inquit) (d) in Genealogia Murenſi ne quidem reperitur; ſiquidem etiam in altera ejus parte, & quidem mox in primo gradu fœmina aliqua à cognomine mariti *Comitiſſa de Linigen* appellatur. Noluerit utique Adverſarius, ut ex

(a) Citat. lib. I. cap. XI. § VIII. (b) Loco citato. (c) Vide operum S. Bernardi, quæ Mabillonius edidit, Tom. I. edit. ſec. pag 371. & 372. (d) Cit. lib. & cap. § IX.

ex eo, quod in altera Genealogiæ noſtræ parte fœmina una, ut in priori omnes, cognomine mariti appelletur, concludamus; jam nullam differentiam in ea reperiri, utut ibi reliquæ fœminæ omnes gentilitiis cognominibus appellentur: ſi ergo hæc ratio quidquam evinceret, victoria ad ſummum in hoc conſtaret, quod (ut quidem & P. Herrgottus advertit (a) hic gradus, cum alias primus illorum ſit, quos ſchematis noſtri Genealogici continuatori adſcribimus, adhuc primævo auctori tribui debeat. Verum quo minus & hoc admittamus, obſtat 1[mo.] Ita Alberti III. uxor, & hujus noſtræ Comitiſſæ de Liningen mater, quæ contra ſtylum ſuperioris partis jam gentilitio cognomine Comitiſſa *de Pfullendorff* appellatur. Obſtat 2[do.] alter modus loquendi, in quo poſterior pars à priori differt, quemque in præſenti gradu jamjam obſervamus: nempe *per Itam, per Agneſam, per Heilwigam, &c.* At in hac noſtra Genealogia ſaltem non tanta apparet diverſitas, quanta ad conſtituendos duos Auctores requiri poteſt, & debet (b). Itane? nempe Peireskio ſufficiens videbatur, quæ in Genealogia noſtra eſt, ſtyli diverſitas ad ſtatuendos duos ejus Auctores, tibi non item.

Sed utri jam credendum in re ex ſolo hominum arbitratu pendente? tibine P. Herrgotti partibus tam addicto, an Peireskio, viro tam emunctæ & acutæ naris, tamque omni à partium ſtudio alieno? adde (quod quidem vel ex iis, quæ numero præcedenti diximus, abunde liquet) multa olim, & adhuc noſtro ævo à viris eruditis huic vel illi ſcriptori ob ſtyli diverſitatem

(a) Proleg. III. § XVII. (b) Ibidem.

tem abjudicata fuiffe, quæ, præterquam longiora non funt, quam noftra Genealogia eft ; tantam, quanta in hac deprehenditur, differentiam vix & ne vix quidem præfeferunt.

V. Saltem non negaverit Adverfarius, aliquam, & hanc quidem fatis notabilem differentiam inter primam & fecundam ejus partem intercedere : Primo enim juxta fuperius dicta fœminæ in priori parte conftanter maritorum cognominibus diftinguuntur, cum econtra in altera parte gentilitiis donentur. Secundo in priori parte lineæ rectæ propagatoribus nunquam adduntur conjuges ; fecus atque in altera parte fit, ubi hæ femper una comparent, & hac quidem fpeciali formula inducuntur : *Per Itam, per Agnefam, per Heilvvigam, &c.* Tandem (id, quod jam pro tertia differentia damus) in prima parte variarum Comitibus Habsburgicis vel confanguinearum, vel affinium familiarum, ut puta Lotharingicæ, Rheinfeldenfis, Lenzburgenfis, &c. genealogia ducitur; cum contra in pofteriori parte, utut occafio non una fuerit, nihil horum fiat. Ponamus jam triplicem hanc differentiam fe fola non fufficere ad ftatuendos duos Genealogiæ auctores : quo pignore mecum ! viri à partium ftudio alieni, fufficientem æftimabunt, fi attendere velint, quod mutatio ftyli in Genealogia accurate in ipfiffimum illud tempus incidat, quo primus Actorum fcriptor definit, alter incipit ? Usque ad medium feculum XII. (quia usque ad Wernherum Rudolphi I. Rom. Regis abavum) Genealogia uniformi, tum vero alio ftylo concepta eft : atqui usque ad ipfiffimum medium feculum XII. (quia

usque ad Abbatem Cunonem) Acta eundem, tum vero alium habent auctorem : quidni ergo attenta hac circumstantia dicamus, quod quemadmodum Actis, ita & Genealogiæ illis præfixæ duo illaboraverint, & idem quidem ille priori parti Genealogiæ, qui Actis ? atque præcipua hæc ratio est, quæ utrumque summo sane nobis persuadet opere.

§ II.

1. DIxi nunc adeo, quod cum mutatio styli Genealogiæ Murensis tam accurate in illud ipsum tempus incidat, quo etiam primævus Actorum scriptor lucubrationem suam finivit, indubium videatur, quin idem, qui Acta, idem inquam, primam partem Genealogiæ concinnaverit. Scio equidem & fateor, hoc argumentum non esse apodicticum, seu demonstrativum in rigore Geometrico, vel Logico : quotus vero quisque est, cui nostram sententiam non plane persuadeat ? nemo hercle unus illorum, quorum mens â studio partium libera est : maxime, cum argumenta, quæ Adversarius in contrarium affert, tam levia sane sint. Primum est, quod continuum & nuspiam interruptum filum à capite usque ad calcem deducatur, *nullum ut uspiam supplementi vel continuationis appareat vestigium* : Ergo (infert) Genealogia unum tantum Auctorem habet ; si unum, hoc ipso diversum ab Actuario ; quia hic ad medium seculum XII., Genealogus ad medium XIII. procedit (a). Mirum cur filum rumpatur, ubi eadem materia ? adverterit insuper Adversa-

(a) Cit. lib. & cap § XI.

ſarius, quod neque inter Genealogiam & Acta, quæ tamen, præterquam diverſam conſtituant materiam, ex ſua ipſius ſententia alterius Auctoris ſunt, neque inter Acta primaria, & eorum ſupplementum itidem certo certius ab alio, quam primævo ſcriptore adjectum tale aliquod diſtinctionis ſignum appareat.

II. *Secundum argumentum* (pergit Adverſarius) (a) *deduco ex diſſimilitudine doctrinæ* ; *multa enim habet Genealogus Actuario aut incognita, aut contraria, aut indicta.* Quænam hæc *multa incognita, contraria, indicta? Genealogus* (inquit) *Itam Radebotonis conjugem, cœnobii Murenſis Reparatricem vocat contra ac facit Actuarius, qui eam Fundatricem fuiſſe, diffuſe enarrat.* Reverende Pater! ſi quælibet opinionum diverſitas diverſum indicat Auctorem, quem laboris ſocium tu ipſe habuiſti? nullum nominas: Ergo à te ipſo diverſus es. Primo enim, ut jam ſemel monuimus, Anonymum Murenſem erroris accuſas (b), quod Kanzelinum filium Guntramni Divitis, Comitem de Altenburg compellet; cum tamen alibi diſerte dicas, te *non videre, quo pacto erroris redarguendus ſit* (c). Secundo, cum eundem Kanzelinum in caſtro Altenburg nunquam habitâſſe non ſine calore defendis (d), quem tamen ibi habitâſſe, alio loco plane affirmas (e). Tertio, ubi non vis admittere, quod duo ſint Actorum Murenſium ſcriptores (f): cum tamen hoc ipſo, quod nunc exagitamus, capite (g) hanc ſcriptorum diverſi-

L 2 ta-

(a) Ibidem § XII. (b) Lib. I. cap. I. § III. pag. 3. (c) Lib cit. cap. XXV. § III. (d) Lib. II. cap. V. § IV. & ſeqq. (e) Lib. I. cap. XXV. § IV. (f) Lib. I. cap. III. § XII. (g) Cap. XI. § III. IV. & V.

tatem tu ipſe adſtruas. Nolumus multis exemplis aliunde adductis cuiquam moleſti eſſe : duo ſufficiant. De Platone teſtatur Euſebius, quod alicubi velit, Poetis circa Deos adhibendam fidem, alibi id neget. S. Chryſoſtomus, ubi probat Religionem per homines indoctos propagatam fuiſſe, Paulum indoctum ſcribit: cum tamen alibi, nempe, cum de Sacerdotio agit, Paulum doctum fuiſſe tradat. Vides ergo opinionum diverſitatem non certum diverſi Auctoris ſignum eſſe ; nempe quia homines ſumus obliviosi, præproperi : Quod tamen minime eo animo dictum ſit, ac ſi nobis perſuaſum eſſet, Itam in Genealogia aliam haberi, atque in ipſis Actis; quippe cum conſtanter teneamus, quod, tametſi Genealogus eam *Reperatricem* vocet, revera tamen *Fundatricem* agnoſcat, ac proinde ab Actuario in *verbo* tantum, non item & in *ſenſu* differat, & (ut paucis multa dicam) vocabulo *Reparatrix* idem denotet, quod Actuarius vocabulo *Fundatrix :* ni forte (quod probabilius videtur) culpa omnis, in exſcriptorem (1) referenda ſit, qui vel ob easdem ultimas ſyllabas vocabulorum *Reparatrix* & *Fundatrix*, vel ob paritatem,

quæ

(1) Genealogia enim æque Apographa eſt (ſi forte hac de re dubitaret Adverſarius) atque Acta ipſa. Ratio eſt, quod utraque eadem manu ſcripta ſint ; porro (quod jam nuper monendum fuerat) in codice iſto (qua pro re fidem meam oppignoro) admodum frequenter particula i. punctis notetur, qui characteriſmus eſt Seculi XV. cum tamen Genealogia vel ex Adverſariorum ſententia medio Seculo XIII. inferior non ſit. Nempe codex hic Murenſis ipſiſſimus eſt, quem una cum aliis Archivi noſtri monumentis Abbas Georgius Sigismundo Cæſari confirmandum obtulit : id quod ille gratioſiſſime præſtitit. Ampli Diplomatis Conſtantiæ anno 1415. dati verba ſunt : *attenta igitur ſupplici* (Georgii Abbatis) *inſtantia, prudenter & ſcienter eidem Abbati . . . . Acta Fundationis . . . ſicuti de verbo ad verbum ſcripta & conſignata ſunt, ... Regia authoritate confirmamus, renovamus, roboramus.*

quæ inter *Fundatricem* & *Reparatricem* intercedit (puta, quod una æque ac altera ædificet) quamdam passus confusionem, facili errore *Reparatricem* scripsit, ubi scribere debuisset *Fundatricem.* Non dubitaveris utique Reverende Pater! quin Scriptor Genealogiæ Monachus fuerit Murensis, & quidem rerum domesticarum patriarumque multo aliis peritior, siquidem ad id laboris accedere præ aliis vel jussus fuit, vel ultro voluit. Idem à Monasterii Fundatione juxta te haud amplius duobus, juxta nos uno tantum seculo abfuit. Atqui hæc sufficiunt, ut tuum Argumentum, prorsus in nihilum recidat. Quæso enim! qua ratione fieri poterat, ut Monachi Murenses, qui in tabulariis suis tot Fundationem suam docentia monumenta asservabant, qui in meditullio suæ Ecclesiæ Fundatorum suorum tumulos, & hos (ut ex charta quadam authentica discimus) (a) *sumptuosos magnisque lapidibus* insignes quotidie spectabant, qui (quod, ut inde à Fundatorum obitu factum fuisse novimus, ita hodieque non sine pompa fit) quot annis solennem Itæ, Radebotonis, ac Wernharii pientissimorum Monasterii Fundatorum memoriam agebant, quæso, inquam qua ratione fieri poterat, ut, qui hæc omnia suismet oculis, auribusque usurpabant, non solum non scirent, à quibus & quando Monasterium suum fundatum sit, sed de hac Fundatione etiam erroneam foverent opinionem: Puta, quod illud jam dudum ante Itam, Radebotonem, & Wernharium, adeoque ante seculum XI. extiterit, non obstante, quod neque Monachum, neque Præpositum, ne-

(a) Apud P. Herrgottum Gen. Diplom. T. II. n. CMXXXIII.

neque Abbatem hoc ſeculo ſuperiorem noſſent ? an quisquam id affirmare poſſit ſine hypercriſeos atque immodicæ cenſuræ vitio? quid? apud ſolos Murenſes rerum omnium domeſticarum maxime memorabilium tam mire brevis memoria, tam corrupta traditio, tam turpis incuria, tam ſupina fuerit ignorantia? credant hoc, qui neſciunt, quam ſollicite ejusmodi Fundationum Hiſtorias ad poſteros etiam remotiſſimos transmittere ſoleant grati aſceteriorum incolæ. Quodſi incredibile eſt, Monachos Murenſes per eas tempeſtates Monaſterii ſui initia ignoràſſe, quantominus id credibile erit de illo, qui cæteris longe majorem monumentorum domeſticorum notitiam habuit? quippe, qui Comitum Habsburgicorum Genealogiam ſcripſit, haud aliunde utique collectam, quam ex his ipſis. Dicendum ergo, quod, cum in Genealogia Murenſi Ita, quæ Monaſterii *Fundatrix* fuerat, *Reparatrix* appellatur, error vel ab incuria exſcriptoris, non vero ab ignorantia Auctoris proveniat, vel certe, ſi & hic *Reparatricem* ſcripſerit pro *Fundatrice*; nihilominus *Fundatricem* in mente habuerit, atque adeo vocabulum Reparatrix in ſenſu tantum minus ſtricto acceperit, eo nimirum (ut id addam) quo P. Herrgottus è converſo Ulricum Lenzburgi Comitem Monaſterii Beronis *Fundatorem* appellat (a), qui tamen iſtius Monaſterii *Reparator* tantum, ſeu *Reſtaurator* agnoſcitur. Non ignoro utique, quam nimirum diverſam ſignificandi vim alias habeant vocabula *Reparatrix* & *Fundatrix*, quamque adeo ævi noſtri Eruditis, quorum judicium haud ſecus, atque (ut Tul-

(a) Geneal. Diplom. I. Lib. I. cap. VIII. § VI.

Tullius ait (a) olim Atheniensium *tam prudens, sincerumque est, nihil ut possint audire, nisi incorruptum, & elegans*; quam, inquam, parum hodie placeret, qui unum pro altero sumeret: sed tempore Scriptoris nostri, illo inquam tempore,

> Quo neque Musarum scopulos quisquam superabat,
> Nec dicti studiosus erat,


Quis nescit, quam male ruditerque conceptus suos explicaverint, quam sæpe verbis non solum impropriis, sed plane etiam contrarium significantibus usi sint plerique scriptores?

IV. Tertium argumentum, quo probetur, Genealogum diversum fuisse ab Actuario, compendio redditum huc redit. In Genealogia omittuntur Guntramnus, Kanzelinus, Radeboto, Otto I., Adelbertus I. & II. qui tamen in Actis nominantur; ergo Genealogus illos ignoravit: si ignoravit; ergo non erat idem cum Actuario (b) At ego testor, quotquot ista legunt, an hæc ratiocinatio: *omisit, ergo ignoravit*, non purum putum sit sophisma; quod ab *imperfecta enumeratione* vocant? Si quis dicat: *ecce! hic tacet; ergo est mutus*, sophisma vocas hanc argumentationem, quia silentium ab alia etiam causa provenire potest; quidni ergo & hanc: *omisit; ergo ignoravit* pro sophismate habeas, siquidem & hic in unam causam refertur, quod aliam habere potest? Qui Itam de Tierstein, Adelheidem de Huneburg, Gertrudem de Mümpelgard, Richenzam de Ferreto, filias duntaxat Habsburgicas, exteris nuptas; dein

(a) De Orat. n. 8. (b) Cit. lib. & cap. § XIII.

dein Richenzam de Lenzburg, ejusque & filios & nepotes & neptes; tandem Itam Lotharingicam, ejus fratres tam uterinum quam germanum, itemque horum filios nepotes, neptes, de quibus tamen omnibus (utpote Habsburgi Comitum dumtaxat cognatis) ei ex secundaria tantum intentione agendum erat, diligenter quæsivit, quæsitos feliciter invenit, is ipsos Habsburgi Comites, non quæsierit, quæsitos illos respective Dominos, Benefactores, Advocatos, Fundatores suos, Necrologiis, Actis, Chartis suis celebratos non invenerit? Quis id credat?

Ergo omissiones illæ alias in causas referri debent, quam quæ ab Adversario assignatur. Has Capite quinto ex ponemus: hic etenim sat prata biberunt; satisque ostensum est: Genealogiam Murensem & duos habere auctores, & eosdem quidem illos, quos ipsa Actorum commentaria habent.



CAPUT

CAPUT IV.

Disquiritur, quis fuerit Actorum Murensium Scriptor.

EX quo Acta Murensia è tenebris in lucem prodiêre, nemo adhuc dubitavit, quin â quodam Murensis Asceterii Monacho (quamquam anonymo) conscripta fuerint: nunc verò (nova & inaudita opinio!) persuadere nobis vult Adversarius, Scriptorem hunc Monachum non Murensem, sed San-Blasianum fuisse, nomine quidem Chunonem, & post mortem Ronzelini, de quo hactenus sæpius diximus, sub annum 1145. Muros postulatum Abbatem.

Utrum Adversarius fabulam hanc sibi unquam persuaserit, equidem vehementer dubitamus: Verba ejus si quis attendat, tam certa res est, *ut pauca forte extent veterum opera, ANONYMEI Scripta, quæ tanto rationum pondere atque robore Auctori suo vero ac genuino asserta fuisse videantur* (a). Hinc jam operis titulus, jam quoque præfatio, jam demum varia ex præcedentibus capita gloriosum hocce figmentum ceu totidem præcones nunciare debebant. Quid? quod ipsæ etiam novellæ hanc hederam ostentârint? Sed jam ad rem. Sententiam suam sic paucis declarat Adversarius (b): *Acta Murensia conscripsit Abbas quidam Murensis, & ille quidem Abbas, qui inde ab anno* 1145. *ad annum usque* 1166. *præfuit; atqui Abbas iste fuit Chuno sive Conradus ex Monasterio S. Blasii postulatus: ergo Acta Murensia conscrip-*

M

(a) L. I. c. XII. § XIV. (b) Ibidem § IX.

ſcripſit Conradus de S. Blaſio. Quo in diſcurſu duo controverſa ipſemet agnoſcit : Primum, an Actorum Collector demum poſt annum 1145. Scripſerit : alterum, an Abbatiali dignitate præfulſerit. Age! utrumque ex ordine diſcutiamus.

§ I.

1. ACtuarium Murenſem demum poſt mortem Ronzelini Abbatis ſcripſiſſe, ut evincat Adverſarius, complura affert argumenta. Primum eſt, quod, quemadmodum ubi de præcedentibus, ita etiam ubi de hoc Abbate loquitur, particula *ſub* utatur, dicens : *Sub Abbate Ronzelino* (a). Egregium (ſi ſuperis placet) argumentum! quis enim neſcit, hanc particulam etiam viventium nominibus conjungi, cum tot omnis generis monumenta id teſtentur? Ex ſexcentis aliqua ſaltem excitare libet. Nihil ſolennius in Diplomatibus hac formula : *Scripſi ſub Carlomanno majore domo, ſub Chancharone, ſub VVarino, ſub Adalardo, ſub Uodolrico, ſub Erchenmaro, ſub Piritilone Comite,* ut (ne multum evagemur) videre eſt apud P. Herrgottum (b) ex cujus Tomo ſecundo hæc extraximus. Eandem formulam in numis quoque obtinuiſſe, probat præter alios ille, qui occaſione unionis Græcorum cum Latinis Eugenio IV. Pontifice in vulgus ſpargebatur; quippe ubi legere eſt: *Græci, Armeni Synodo Florentina cum ſede Apoſtolica SUB EUGENIO IV. anno Chriſti MCCCCXIL. uniti ſunt* (c).
Hunc

(a) Ibidem § II. (b) Gen. Diplom. T. II. num. I. & ſeqq. plurimis. (c) Extat Icon hujus nummi apud Claud. du Molinet in Hiſt. ſumm. Pontif. per eorum nummiſmata.

Hunc loquendi modum ne ipsis quidem veteribus Romanis displicuisse, quando de viventibus agebant, cum ex aliis multis, tum ex hac inscriptione discimus, quæ apud celeberrimum Muratorium reperitur (a) & ita habet : *Mercurio magno de suo tribuit SUB CLAUDIO PRÆSIDE Provinciæ Transpadanæ, Publius Cæcilius Titi Filius, ... Quinto Cæcilio, & Cneo Pompeio Consulibus*, videlicet anno ab Urbe condita 701. Hisce omnibus addere liceat tenorem schedæ præterito seculo cuidam sepulchro ante fores Ecclesiæ nostræ effosso illatæ, quæ ita sonat : *Anno MDCLXXIV. cum die decimo septimo, octavo & nono Augusti hæc porticus SUB ABBATE FRIDOLINO* (1) *esset diminuta : & vero secundum vetusta Monasterii monumenta constet, ante ingressum Ecclesiæ fuisse sepulta corpora D. Richenseæ Fundatoris nostri filiæ, uxoris Ulrici Comitis de Lenzburg : Nec non Wernharii fratris Richenseæ, cum uxoris suæ Regulindæ, & filii Ottonis corporibus; lapidem sepulchralem, in quo insignia D. D. Comitum de Lenzburg* (hic depingebantur illa insignia) *reperimus, & sub eodem quatuor (utique prænominatorum) corpora, quæ in querrea arca inclusimus, cum ista Syngraphe ad notitiam Posterorum. Ad cornu Evangelii hujus sepulchri offendimus alia ossa sub alio lapide, sed sine Symbolo, quæ credimus esse D. Burchardi primi Abbatis hujus loci, quæ intacta reliquimus. Acta sunt hæc die trigesimo mensis Augusti SUB ABBATE HIERONYMO TROGER paucis ante diebus electo*

(a) Veter. Inscript. Tom. I. Classe V. pag. CCXCII.

(1) Qui ipsissimo illo die 18. obiit.

cto (1). Ubi cum videat Adverſarius, particulam *ſub* prima vice defuncto, altera viventi conjungi; facile utique judicabit, quam infirmo talo primum ſuum argumentum conſiſtat.

II. Alterum inde petit, quod ſicuti cum pridem defunctorum Abbatum, ita quoque cum Ronzelini facta narrat Actuarius, annum æræ vulgaris addat; *quod* (ſubjungit) (a) *ineptum foret, ſi Abbas adhuc in vivis eſſet.* Pulchra argumentatio! *Actuarius tam cum de Udalrico, quam cum de Ronzelino agit, adnotat, quo anno hæc illa geſſerint: Ergo uti poſt Udalricum, ita quoque poſt Ronzelinum ſcripſit.* Certè ſi ineptit, qui viventis facta narrans notas Chronologicas addit; ergo tanto quisque ineptior eſt, quanto accuratior, & viciſſim tanto laudabilior, quanto negligentior. Ergo Scriptoribus ſynchronis accuratos eſſe non licet. Ergo hiſtorias, quas æquævi ſcripturiunt, luſcas, quia oculo ſuo, quod Chronologia eſt, orbatas eſſe oportet. Ergo talibus hiſtoriis notæ Chronologicæ (ſed quanto cum periculo erroris, & diſpendio tam veritatis, quàm accurationis) demum à poſteris addendæ ſunt: ſi tamen hi addere poſſunt, quod ſynchroni non adnotârunt Ergo dicendum, quod nummi memoriales (2) qui notas Chronologicas referunt, aut meræ ineptiæ ſint, aut demum poſt mortem illorum, quorum facta commendant, cuſi fue-

(a) Cit. cap. & parag.

(1) Electus 22. Aug. e. a. Benedictionis munus accepit die 7ma Octobr. Ita annal. Mur. unde hæc omnia deprompſimus

(2) Quales v. g. ſunt, quos P. Herrgottus in monum. Auſtriac. Tom. II. part. II. Tab. XXIX. n. LXXVII. Item Tab. XXX. n. XI. & Tab. XXXII. n. VII. producit.

fuerint. Ergo quotquot coævos, tot ferè ineptos numeraremus ſcriptores ; quippe cum vix unus illorum ſit, qui non aliquoties ſaltem, quo anno hæc, illa ve geſta ſint, adnotârit, tametſi, qui ea geſſit, adhuc vixerit. Lubet hanc rem nonnullis exemplis illuſtrare, & talibus quidem exemplis, unde (cum Adverſarius vim argumenti ſui in eo præcipuè collocet, quod Actuarius noſter, uti cum v. g. de Udalrico pridem defuncto, ita etiam cum de Konzelino agit, annum æræ vulgaris addat) unde inquam pateat, ſcriptores non ſolum defunctorum, ſed & vivorum facta notis Chronologicis illuſtrare ſolere. Primum ex Cæſare ſit. Hic de Orgetorige apud Helvetios longè ditiſſimo & nobiliſſimo, ſed jam defuncto, agens ſic habet (a) : *Is* M. MESSALA ET M. PISONE COSS. id eſt, anno U. C. DCXCIII. *Regni cupiditate inductus, conjurationem Nobilitatis fecit, & Civitati perſuaſit, ut de finibus ſuis cum omnibus copiis exirent.* Atqui de ſe ipſo (utique ergo vivo) agens idem Cæſar pari modo tempus accurate ſignat, cum ait (b) : *LUCIO DOMITIO, AP. CLAUDIO COSS.* id eſt, anno U. C, DCC. *diſcedens ab hibernis Cæſar in Italiam, ut quot annis facere conſueverat, legatis imperat, . . . ut naves . . . reficiendas curarent.* Alterum exemplum ex Reginone deſumimus, qui, uti de Arnulpho Rege Germaniæ pridem defuncto (1) in hæc verba loquitur : *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCIV. Arnulphus cum valido*

(a) De bello Gall. lib. I. cap. 2. (b) Ibidem lib. V. cap. 1.

(1) Obiit enim Arnulphus teſte ipſo Reginone anno 899. cum contra Regino (ut in præfatione, vel potius dedicatione ipſe teſtatur) demum anno 909. ſcripſerit.

exercitu Longabardorum terminos intravit (a); ita quoque de Ludovico Rege Provinciæ adhuc vivo (1) ſic habet: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCIV. Ludovicus Boſonis Filius Berengarium de Italia expulit* (b). Duobus hiſce exemplis liceat jam & tertium addere ex Mariano Scoto, qui anno 1086. fatis conceſſit (c). Is, ubi de Henrico III. Imperatore cognomento Nigro jamque pridem defuncto (2) agit, utique non omiſit notas Chronologicas, cum ait: *Anno* 1046. *Rex Italiam ingreſſus, pacifice à Romanis ſuſcipitur* (d): Quis vero non eandem prorſus accurationem ſuſpicit, ubi Scriptor hic de Henrico IV. Henrici III. Filio optime adhuc valente (3) ſic habet: *Anno* 1081. *Henricus cum magno exercitu profectus, Romam obſedit* (e)? Manet ergo, ex notis Chronologicis concludi nullatenus poſſe, quod is, cujus nomini adduntur, jamjam obierit.

III. Pro tertio argumento, quo evincat, Actuarium demum poſt mortem Ronzelini ſcripſiſſe, affert Adverſarius hunc locum: *Anno autem Dominicæ Incarnationis MCXXXII. cupiens Abbas Ronzelinus augere ſumptum potius ſibi ſubjectorum, egit tum cum conſilio fratrum, &c.* (f). Scire autem hic ante omnia vellem, quid diſcriminis inveniat inter locum hunc Actuarii & illum Linturii: *Anno MDXIV. Ulricus Dux de Wirtembergk volens gravamina terræ in debitis tollere, convocavit ſuos, &c.*

(a) Mihi pagina 95. (b) Ibidem pag. 99. (c) Dodechinus ad hunc annum (d) Mihi pagina 650. col. 1. (e) pag. 656. col. 1. (f) Loco cit.

(1) Quippe qui demum anno 923. vel ineunte 924. deceſſit. vid. l'Art de verifier les dates &c. pag. 577. (2) Is enim jam anno 1056. obierat, ut ipſe Marianus Scotus ad hunc annum conſignat. (3) Ut qui demum anno 1106. adeoque viginti annis poſt ipſummet Scotum defunctus eſt teſte Dodechino ad h. a.

&c. (a) ? nihil utique omnino ; quippe cum nec ovum ovo tam ſimile ſit, ac ſimilia ſibi ſunt hæc duo loca. Atqui Linturius hæc ſcripſit vivente adhuc Ulrico (1): quidni ergo Actuarius ſimilia ſcribere poterat vivente adhuc Ronzelino ? Sed hæc prævie. Quærere nunc liceat, quid ergo citato Actuarii loco inſit, quod mortem Ronzelini tam claré enuntiet, ut Clar. Ruſtenus tam fidenter omnis à natura ſibi conceſſi luminis ſponſionem faciat, dicens : *Ex hoc loco*, NISI ME MEA OMNIA FALLANT, *clare intelligitur, Abbatem Ronzelinum Actuarii ætate jam defunctum fuiſſe ?* nempe primo hoc (inquit ille) quod nomen Ronzelini ſine addito *hodiernus* vel *noſter* vel ſimili adſcribatur. Atqui (ut exemplorum compendium faciam) idipſum etiam in Linturio, & ſi animum ad loca, quæ numero præcedenti allegavimus, reflectere lubeat, etiam in Mariano Scoto, & Reginone obſervamus; tametſi Ulricus Dux Wirtembergiæ, de quo Linturius, Henricus IV. Rom. Rex, de quo Scotus, & Ludovicus Rex Provinciæ, de quo Regino agit, certo certius adhuc vixerint, cum Scriptores iſti ſua opera elucubrarent. Alterum quod in citato Actuarii noſtro loco Ronzelinum jam defunctum indicet, ſit particula *tum*, qua Scriptor ait : *Anno &c. cupiens Ronzelinus augere ſumptum, egit* TUM *&c.* Nolo ad hoc quidquam reponere : ſi neſciat, aut dubi-

(a) Mihi pagina 603.

(1) Scripſerat enim Linturius, qui anno 1489. Paſtorem egerat in Hof Civitate Curienſi, ineunte Seculo XVI. ; cum contra Ulricus III. Dux Wirtembergiæ, de quo hic ſermo eſt, demum medio hoc Seculo, ſcilicet anno 1550. obierit ; ut videre eſt apud Bregizeros in Cedro ſeu Genealogia Wirtembergica Part. III. pag. 11.

bitet Adverſarius quorſum particula illa *tum* ſpectet, an ſcilicet ad nomen *Ronzelinus*, an verò ad verbum *egit*, haud alio facto opus ei eſt, quàm ut obvium quemque Lectorem deſuper conſulat: utique enim is nodum facilè ſolvet. Hactenus de argumentis, quibus Adverſarius evincere voluit, Actuarium Murenſem demum poſt mortem Ronzelini ſcripſiſſe: videamus nunc an nihil reperire ſit, quod contrarium probet.

IV. Quam accurate Actuarius Murenſis monaſterii ſui Rectorum inde à Reginboldo primo Præpoſito ad Abbatem Ronzelinum uſque, & ſucceſſionem, & annos præſidii, & vel abitum vel obitum conſignet, nemo ignorat, qui ejus ſcriptionem vel obiter legerit. *Sub eodem tempore*, inquit: nempe ſub annum 1026. *cum placitum fieret juxta pontem fluvii, qui dicitur Glat, venit illuc Comes Radeboto & accerſivit de cella S. Meinradi Abbatem Embricium, & eum rogavit, ut faceret hîc Monaſterium conſtrui, & ſuos Fratres ad hoc implendum deſtinaret. Cui cum Abbas aſſenſum præberet, huc deſtinavit Reginboldum Monachum, & ei præcepit, ut ipſe Præpoſitus eſſet hic. Qui cum Monaſterium perfeciſſet pene uſque dum dedicari debuiſſet, defunctus eſt Idibus Julii Heinrici III. Imperatoris temporibus. Poſt cujus depoſitionem Wernharius Comes Filius Radebotonis pergens ad cellam Heremitarum obtinuit ab Abbate Hermanno, ut huc alius Præpoſitus pro eo mitteretur, id eſt, Burchardus, qui cum annis ſeptem & aliquid plus huic loco præeſſet, Idibus Januarii feliciter receſſit à Seculo: Poſt cujus obitum manſit locus iſte duobus annis ſine Abbate; quia Wenelo frater noſtra*

stræ Congregationis petiit hoc à Comite, usque dum ipse perficeret claustrum: Quod postquam complevit, elegerunt fratres Udalricum Disertinensis Monasterii Monachum in Abbatem, qui ubi sub nomine Abbatis, quamvis non esset benedictus, jam multis annis præfuit, reversus est in locum suum, id est, Disertinense Monasterium: Fratres autem præposuerunt sibi Rupertum (è S. Blasio) *ad Priorem*, qui cum *per triennium hic fecisset in Prioris nomine, jussu sui Abbatis discessit hinc, & rediit in suum claustrum.* Post hujus discessum *venit huc tunc Luitfridus à cella S. Blasii*, qui deinde *anno MXCVI. in Nativitate Domini, id est, 11. Kl. Jan. beato fine quievit. Post cujus depositionem electus est à Fratribus ad Abbatem ipse Rupertus, qui hic ante adventum Luitfridi Abbatis in Prioris nomine fuit. Hic ergo cum per XII. annos istum locum rexisset, dimisit Abbatiam & discessit hinc. Cui ad regimen loci successit Uodalricus istius loci Monachus, præfuitque huic loco X. annis & tres menses & totidem ebdomadis, & uno die* (a). Hic Anonymus Scriptor Præpositorum atque Abbatum nostrorum Catalogum claudit: Unde & nos concludimus, quod sub ipso adhuc Ronzelino opus suum compleverit. Si enim demum mortuo hoc Abbate scripsisset; quis dubitet, quin & de ipso adnotâsset, quanto tempore præfuerit? Viderit ergo Adversarius, quam nullo fundamento nitatur prima ejus propositio, qua Anonymum hunc demum post mortem Ronzelini ad scribendum accessisse contendit: Quamquam hoc etiam admisso, non videam, quid lucri ipsi accedat. Cum enim Auctor Actorum sub

N hoc

(a) Vid. Act. Mur. à pag. 11. usque 30.

hoc Abbate jam saltem Religiosæ Murensium Congregationis membrum fuerit; siquidem (ut nuper probavimus) suismet oculis viderit, quænam reliquiæ in Altare quoddam ab hoc Abbate restauratum repositæ fuerint (1): Imo indicare videatur, se jam à puero in Monasterio Murensi educatum fuisse, cum alicubi ait: *Volumus, ut in palam veniant, quæ nos simplices & pueros hactenus latuerunt*; qua amabo ratione Chuno, qui demum mortuo Ronzelino è S. Blasio Muros vocatus fuit, eorum Auctor esse possit? Videamus jam, an alterum Adversarii assertum, nempe quod Actorum Auctor Abbas fuerit, melius subsistat.

§ II.

1. ACtorum Murensium Scriptorem Abbatis dignitate eminuisse, ut probet Adversarius, tres iterum affert rationes. Prima est, quod Scriptor iste identidem operi suo inspergat hortatiunculas (a), semel etiam præsentes Monachos injustæ possessionis, anteriores autem injustæ emptionis incuset (b). Quam valide usque stringunt Adversarii argumenta? Si quilibet Monasticus Scriptor, qui operi suo hinc inde aliqua interserit monita, Abbas fuisse dicendus est, vah! quanti pro Abbatibus habendi erunt, quos adhuc pro privatis ha-

(1) Scio, quid Adversarius opponat; fieri nimirum potuisse, ut Chuno de S. Blasio diu antequam Abbas esset, in Muris versaretur, adeóque, & ipse reliquias illas videret. Sed alter, quem hic excitamus, locus instaurat argumentum. Adde, quod hoc subterfugium tum demum locum haberet, si (quod numquam fiet) Chunonem Actorum Auctorem fuisse probaretur. Demus & hoc: quo Vade Adversarius illum San-Blasianum fuisse probat?

(a) Scilicet pag. 6. 35. 89. (b) Pag. 66.

habuimus ? nolumus Adverſarium exemplis obruere: ſed ſi forte apud Scriptores ejusmodi Monaſticos hæc legat : *Pro his cæterisque Benefactoribus noſtris inſiſtendum eſt nobis orationi prece inſtantiſſima, ne aliorum utentes bono peccatorum eorum noſtris ſuperadditis gravem accumulemus ſarcinam ſuper capita noſtra* ; Item : *Diſcant hinc ſenes ac juvenes* (confratres) *quid voluptas carnalis ſit, niſi deſperatio &c.* ; rurſum : *Diſcant* (hinc Superiores) *in corrigendis exceſſibus hujus S. Patris ſequi veſtigia &c.*, demum : *Caveant poſteri, ne aliquando deſiderio terrarum ſive reddituum comparandorum & per maxime dilapitatione bonorum vel luxurioſe vivendo recidant in uſuras, & incurrant illam maledictionem, quam oculis noſtris vidimus &c.* ; ſi, inquam, hæc legat Adverſarius, quid judicat ? utique (ſi conſequenter loqui velit) quod ab Abbatibus ſint ſcripta : atqui Scriptor, à quo primum ex quatuor hiſce locis mutuavimus, ſimplex tantummodo Monachus erat Benignianus ; Nicolaus de Montigni, ex quo alterum & tertium locum deprompſimus, ſimplex tantum Canonicus Regularis Collegii Viconienſis ; alter demum Nicolaus, qui nobis quartum ex hiſce locis ſuppeditat, Prior tantùm non Abbas ejusdem Viconienſis Canoniæ (1) : Quis ergo ex ſimilibus hortatiunculis, quæ in Actis Murenſibus occurrunt, inferat, earum Auctorem Abbatiali dignitate eminuiſſe ? Nemo utique unus prudentum ; id quod aliunde adhuc oſtenditur. Actuarius (inquit Adverſarius) hinc in-

(1) Chronicon S. Benigni extat apud d'Acherium in ſpicil. Tom. II pag. 357. Chronicon autem Viconienſe ejusque ſupplementum apud. Martene in Theſ. veter. Scriptor. Tom. VI. pag. 282.

inde quasdam interserit hortatiunculas: Ergo erat Abbas. Qualis hæc conclusio? Utique haud multo melior iis, quas Paragrapho præcedenti explosimus. Quidni enim & alius quispiam, ne dicam Præpositus, qui auctoritate Abbati parum cedebat; aut Prior, cui proprium est virtutes plantare, vitia eradicare; aut Senex, quibus plerúmque quasi insita est alios cohortandi cupido (a); sed quivis vir pius, & religiosus; quidni, inquam, & talis breve nonnunquam monitum, nedum posteris, quorum tamen in gratiam opus scriptum est, sed etiam præsentibus, quorum fortasse in manus incideret, dare poterat eo tempore, quo, cum major simplicitas, & hoc ipso major probitas vigeret, monere non difficulter licebat, moneri non indignè ferebatur? Valeat ergo Adversarii argumentum ab hortatiunculis petitum quantum potest. Culpationes quod attinet, falsum esse dico, quod Actuarius noster eo in loco, quem Adversarius hic excitat, præsentes Monachos injustæ cujusdam possessionis insimulet. Prædefunctos utique haud obscurè injustæ emptionis arguit: sed quid tum? Ergone dicendum, quod Abbas fuerit? Viderit Adversarius, ne denuo bene multos Abbates creet, qui adhuc simplices fuere Monachi. Quam vehementer Abbates simul & Monachos prædefunctos identidem perstringit Joannes Berardus (b) Casaurensis seu Piscariensis ad S. Clementem Monasterii Chronographus, qui tamen Præpositi tantum officio fungebatur? audi ip-

(a) Juxta illud Horatii dictum de Sene: *Castigator censórque minorum.* In arte poët. v. 174.
(b) Apud Lucam d'Acherium in spicil. veterum Scriptor. Tom. II. pag. 929.

ipſiſſima ejus verba : *Alienata ſunt* (quædam bona) *miſera pigritia , ſeu carnali negligentia quibusdam Abbatibus incumbente.* Item : *Incuria quorumdam Abbatum & irreligioſitate Fratrum ad tantam paupertatem devenit S. Clementis Monaſterium.* Rurſum : *Sed cum ex negligentia quorumdam Abbatum Piſcarienſis Abbatia foret imminuta &c.* Nolumus plura hujusmodi exempla, quæ nobis ad manum ſunt, immo ubique occurrunt, proferre : Quippe cum omiſſis exemplis aliunde oſtendi poſſit, quam mire claudicet præſens Adverſarii argumentum. Si Hiſtoricis non licet æque male ac bene geſta litteris mandare ; ergo aut Encomiaſtas tantum agere (magno equidem cum Reipublicæ tam politicæ quam litterariæ detrimento) aut id genus laboris Superioribus relinquere deberent. Fruſtra etiam illos moneret Tacitus, ne amore quemquam dicant ; neque vereantur dicere, quæ ſentiunt (a). Fruſtra deinde ipſis inclamaret Poſſevinus, ut, ſi quæ occurrunt male geſta, ea libere damnent (b). Fruſtra demum Hiſtoria Ciceroni *teſtis temporum* (c) audiret. Sed enim *quis neſcit* (quærit idem vir ſummus (d) *primam eſſe Hiſtoriæ legem, ne quid falſi dicere audeat, ne quid veri non audeat ; ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis*? poterat ergo Hiſtoriographus Murenſis dicere, quod res eſt ; puta, quod anteriores ſui aliquid injuſtitiæ admiſerint ; tametſi ipſe ſimplex tantum monachus fuerit.

II. Alterum argumentum, quo Scriptorem noſtrum

 Ab-

(a) *Incorruptam fidem profeſſis nec amore quisquam, & ſine odio dicendus eſt.* Et paulo poſt : *Principatum Divi Nervæ . . . ſenectuti ſepoſui . . . . ubi ſentire, quæ vis, & quæ ſentias, dicere licet.* Hiſtor. lib. I. 1. (b) In Apparatu. de Hiſtor. lib. XVI. & ſect. I. cap. V. (c) De Oratore. lib. II. 13. (d) Ibidem 15.

Abbatem fuiſſe probare vult, petit Adverſarius à nonnullis obſervatiunculis (ut vocat) œconomicis, qualis ſcilicet illa ſit, quæ pag. 79. legitur, & ita habet : *Si quæris, quid ſit ſiſtir? Dictum eſt, quaſi dicatur conſtitutio, vel firmiter ſtatutum; ipſi enim armentarii ſecundum ſuam conſvvetudinem habent nomina inventa, quibus utuntur; utpote tantum lactis, quod ſeracium poteſt fieri, vocant Imi, & octo Imi dicunt ſeſter, adeoque ſeſter nihil eſt aliud, niſi VIII. ſeracia, unumquodque autem ſeracium ſequuntur octo caſei.* Qualis ratiocinatio? *Scriptor Murenſis terminos Armentariorum explicat : Ergo fuit Abbas?* Quid? Si quis, caſu quo apud ſcriptorem quemdam San - Blaſianum legeret, quæ cura adhibenda ſit arborum ſylveſtrium plantationi aut armentis pecorum, hinc inferret, ſcriptorem hunc non ſimplicem Monachum, ſed Abbatem San - Blaſianum fuiſſe; quid Adverſarius reſpondendum exiſtimaret? Indignaretur haud dubiè; quia cum nec novum ſit, nec rarum, quod in ſylva nigra Pinearum cultura exerceatur, & (ſi Berchtoldo Conſtantienſi credimus (a) olim Monachi San-Blaſiani pecora paſce-

re

(a) Verba ejus, lectu plane digna, quia Patrum noſtrorum ſanctitatem nobis ob oculos ponunt, ſunt hæc: *Eo tempore* id eſt, anno 1083. *in regno Teutonicorum tria Monaſteria cum ſuis cellulis regularibus diſciplinis inſtituta egregie, pollebant; quippe cenobium S. Blaſii in nigra ſilva, & S. Aurelii, quod Hirſaugia dicitur, & S. Salvatoris quod Scefuſin, id eſt, navium domus dicitur; ad que Monaſteria mirabilis multitudo nobilium & prudentium virorum hac tempeſtate in brevi confugit, & depoſitis armis Evangelicam perfectionem ſub regulari diſciplina exequi propoſuit : tanto, inquam, numero; ut ipſa Monaſteriorum edificia neceſſario ampliarentur, eoquod non aliter in eis locum commanendi haberent. In his itaque Monaſteriis nec ipſa exteriora officia per Seculares, ſed per Religioſos fratres adminiſtrantur, & quanto nobiliores erant in ſeculo, tanto ſe contemptibilioribus officiis occupari deſiderant; ut, qui quondam erant Comites & Marchiones in ſeculo, nunc in coquina vel piſtrino fratribus ſervire, & porcos eorum in campo paſcere pro ſummis deliciis computent. Ibi nempe & porcarii & bubulci preter habitum idem ſunt quod Monachi.* Ex codice pergam. Bibl. Mur.

re consueverint; abjectas ejusmodi notitias utique præter Abbatem & alii habere, quidni & ad posteros transmittere potuêre. Atqui idipsum fere Adversario reponimus: Quod nimirum apud nos præter Abbatem, utique & alii scire (quidni & exponere) potuerint pecuariæ vocabula; utpote qui medios inter pecuarios agebant. *Pecuarios* dixi, ex quorundam sanionum ore: Quamquam non videam, cur quis populares nostros hanc ob artem rideat.

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fenore;
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges,
Claudénsque textis cratibus lætum pecus,
Distenta siccat ubera (a)

III. Accedimus nunc ad tertium & ultimum argumentum, quo Adversarius figmentum suum, ut puta quod Scriptor noster Abbatiali dignitate eminuerit, stabilire adnititur. Esset illud utique facile præcipuum, si subsisteret: Si, inquam, ita, ut prætenditur, verum esset, quod Actuarius identidem sese ipse Abbatem nominet: Sed quo loco, vel quibus verbis id ille de se affirmat? Nempe duobus in locis, respondet Adversarius (b). Primum extat pag. 59., ubi hæc legimus: *Constitutio etiam quedam antiquitus observatur, ut Abbas prestet, quod ad censum pertinet, & Prepositus mansos, & villicus alia minora. Anteriores autem nostri nolebant multa ponere ad censum.* Quem locum Adversarius sic exponit: *Constitutio quadam antiquitus observatur, ut Abbas*

(a) Horat. Epod. II. (b) § VIII.

bas præſtet, quod pecuniam fœnori dandam attinet; *anteriores autem mei nolebant multa ponere ad cenſum.* Quid de maligna hac expoſitione tenendum ſit, nemo utique non advertit. Quid eſt *præſtare, quod ad cenſum pertinet!* an præſtare, quod pecuniam *fœnori dandam*, an vero quod *fœnori datam* attinet? Haud dubie quod *datam* non quod *dandam*; adeoque *cenſuum curam habere*, minime vero *pecunias elocare.* Saltem negare noluerit Adverſarius, verſum Actuarii ſic, ut modo diximus, limitate accipi poſſe: Ergo clariorem proferat oportet, ſi ſuam nobis perſuadere velit ſententiam. Sed eccum illum! extat is pagina 61., ubi Actuarius hunc in modum ſcribit: *Decima autem ad VValaſvvil dicitur deputata eſſe Eccleſie St. Goaris, & adhuc auditum non eſt, ab ullo ABBATE unquam ANTE NOS ablatam eſſe inde.* Oportet ſane valde idonei videamur Adverſario, quibus pro lubitu illudat. Qui cecinit; *ANTE JOVEM nulli ſubigebant arva COLONI* (a), num ideo ille, Jovem colonis adnumerâvit? Verba *ante Jovem* utique hic nihil aliud ſignificant, quàm *ante Jovis tempora*: Quidni ergo & *ante nos*, quod apud Actuarium legimus, interpretari liceat *ante noſtra tempora*; ut ſenſus ſit: *Decima ad VValaſvvil deputata eſt Eccleſiæ S. Goaris, & auditum non eſt, quod unquam ab ullo Abbate ANTE NOSTRA TEMPORA inde ablata fuerit?* Si autem hæc interpretatio legitima ſit; ergo locus, quem Adverſarius hic excitat, non evincit, quod Actuarius noſter Abbatiali dignitate fulſerit; Id quod adhuc aliunde cum de hoc, tum de præcedenti loco oſten-

(a) Virgil. Georg. I. v. 125.

ſtenditur ; ita quidem , ut uterque contrarium potius probet. Si Abbas fuiſſet Actuarius, dixiſſet utique *anteriores mei* & *ante me* ; non autem *anteriores noſtri* & *ante nos*, id enim (cum hic de ſe qua Abbate loqueretur) ſtylum ſaperet curialem, quo eum in ſcriptione hiſtorica uti voluiſſe eo minus credibile eſt, quo demiſſius alibi de ſe ſentit , dicens : *Tamen volumus , . . . ut in pallam veniant , . . que NOS SIMPLICES ET PUEROS hactenus* latuerunt (a). Quem locum hic eo lubentius produco , quo validius adverſus Adverſarium militat : aut enim multum fallor , aut is ita comparatus eſt , ut plane evincat , Auctorem Actorum ſimplicem fuiſſe Monachum : Niſi Adverſarius admittat , Actorum Scriptorem hic nihil aliud de ſe affirmare , quam quod iisdem fere verbis alius quiſpiam noſtro ſimilis Scriptor de ſe affirmat, dicens (b) : *Talia conſiderantes NOS Divionenſis Monaſterii A PARVULO habitatores &c.* qua quidem in re nobis non ſolum non adverſabitur, ſed etiam conſentiet : Verum hoc ipſo Chunonem ſuum San - Blaſianum Actorum Auctorem negabit. Sed ſufficiat nobis Adverſarii comentum aliunde refutâſſe, atque oſtendiſſe : 1mo. probari non poſſe , neque quod Actuarius Murenſis Abbatiali dignitate eminuerit , neque quod demum poſt mortem Ronzelini ſcripſerit : 2do. eo ipſo , quod alicubi dicat *anteriores noſtri, ante nos* ; atque ubi Murenſis Monaſterii Abbatum ſucceſſionem , mortem , annosque regiminis recenſet , de morte annisque regiminis Ronzelini , quem tamen ne-

O que

(a) Edit. Mur. pag. 64. (b) Chron. S. Benigni Divion. apud d'Acheri Spicil. Tom. II. pag. 357.

que ignorare poterat, neque omiſſurus fuerat, altum ſileat; & ſimplicem eum Monachum fuiſſe, & adhuc vivente Ronzelino ſcripſiſſe; vel certe (cum ſe *vidiſſe* dicat reliquias, quæ in altare quoddam à Ronzelino exædificatum incluſæ fuerunt) (1) ſub hoc Abbate jamjam Monaſterii Murenſis membrum fuiſſe; ac proinde (quod ex his omnibus, imo & ſingulis conſequens eſt) Adverſarii ſententiam, qua Chunonem poſt dicti modo Ronzelini mortem è S. Blaſio Muros poſtulatum Abbatem, Actorum Auctorem facit, merum eſſe ſui ingenii partum.

IV. Sed ecce adhuc argumentum, quod pro Chunone faciat. Cum ſub Abbate Ronzelino (inquit Adverſarius) (a) ſtudia litterarum neglecta fuerint; ſequitur, ut Murenſes neminem tunc habuerint huic ſcriptioni parem; Ergo Chuno de S. Blaſio, qui Ronzelino ſucceſſit, illius Auctor eſt. Nolumus hic Adverſarium interrogare, unde hunc ſtudiorum neglectum probet; ſcimus enim, ſi id ex eo requireremus, litem jam direm-

(a) § X.

(1) Actuarii verſus, ad quem hic reſpicimus, ſic habet: *Continentur autem in ipſo altari* (quod Abbas Ronzelinus reædificàrat) *SICUT EGO IPSE VIDI. & audivi, reliquiæ S. Dei Genitricis Mariæ &c.* Ex verbo *audivi* infert Adverſarius lib. I. cap. IX. § XII. & hic ſcil. cap. XII. § XVI quod Scriptor hujus altaris dedicationi non interfuerit; eoquod *alias inepte admodum locutus fuiſſet, dicendo: Se vidiſſe & audiviſſe, Epiſcopum reliquias in altari quodam repoſuiſſe; quas enim actiones ipſimet videmus, non opus eſt, ut ab aliis quoque nobis narrentur.* Sed falſo laborat ſuppoſito. Actuarius hic non de actionibus Epiſcopi loquitur (has enim jamjam enarraverat) ſed ſolum de reliquiis; ut adeo verba *vidi & audivi* ad has, non ad illas ſpectent, ſenſusq; ſit: *Vidi reliquias & audivi quorum ſanctorum ſint.* ut conſideranti patet; minime vero: *Vidi & audivi, quid Epiſcopus egerit.* quod Adverſarius lectoribus perſuadere vult. Actiones enim Epiſcopi (ut diximus) in præcedentibus jam enarraverat Scriptor. Hæc capite II. quorſum ſpectâſſent, omiſſa hic complanare viſum eſt.

remtam fore ; quia ut nos, ita & ipſum monumenta deficiunt : Nolumus etiam dicere, quod eo ipſo, quia Acta jamjam ſub Ronzelino ſcripta fuère, pateat, non ita collapſa fuiſſe apud Murenſes ſtudia, ut non aliquis ſaltem honos iis conſtaret. Demus potius, quod ea revera fuerint neglecta ; quid tum ? an ideo in numeroſa Congregatione ne unus quidem ſuperfuit, qui ea coleret, atque adeo opuſculo huic, quod quamquam ineptum non ſit. tamen nec virum admodum doctum requirebat, par eſſet ? caveat Adverſarius, ne, ſi nimium inferat, eo ipſo nihil inferre judicetur. Tam dira utique nulla eſt grando, quæ non aliquas ſaltem ariſtas illæſas rectasque relinquat. At niſi ſtudia litterarum apud Murenſes ita defeciſſent, ut ne unum quidem illis ornatum haberent ; non fuiſſent utique Abbatem aliunde accerſituri (a). Quis Religioſam hic Adverſarii in Muros pietatem non miretur ? Si Murenſes, inquit, virum pietate ſimul & doctrina inſtructum habuiſſent, aliunde Abbatem non fuerant advocaturi. Itane vero ? Ergo fieri non poterat, ut vir qua pietate qua doctrina ſpectabilis illis equidem eſſet ; ſed vel ſenio jam pene confectus, & hinc non niſi breve hocque remiſſum, vel adverſa valetudine preſſus, & hinc languidum incertumque regimen promittens, aut alio demum impedimento, quorum, ſi ea modo enarrare liceret, innumera ſunt, laborans ? Videat ergo Adverſarius, quo (etiamſi omnes in partes ſeſe vertat) quo, inquam recidat hæc ſibi tantopere prædicata, & alioquin ſpecioſa ſatis opinio de Actorum Murenſium au-

(a) § XI.

ctore : ſcilicet ut San-Blaſianum faceret, Murenſes criminari oportebat.

Poterit etiam ex hactenus dictis colligere, quid tenendum exiſtimemus de clauſula illa, quam ad calcem hujus capitis adponit, quæque ita ſonat : *Atque hæc quidem de vero & ſincero Actorum Murenſium auctore, quem nobis dudum ignotum, & jamjam vindicatum atque reſtitutum eſſe in ſinum gaudemus : Adverſario præterea gratias habentes non modicas, quod ſua aggreſſione id effecerit, ut nos pro re nata Auctoris illius res diligentius enucleantes, dignumque patena operculum reperientes, Hiſtoriam litterario San-Blaſianam inſigni prorſus acceſſione locupletatam videamus* (a). Gaudere ſe, ait, & *in ſinum* quidem gaudere : Sed quodnam gaudium ? utique (quod in proverbio eſt) *pyrauſtæ gaudium*, quæ ad lucernas advolans ambuſtis alis concidit. Huic ego *gaudio dixi, quid fruſtra deciperis ?* Gratias deinde habet vir humaniſſimus, quod Vindex noſter ſua *aggreſſione* oſtendendo, Actorum comentaria integro minimum ſeculo antiquiora eſſe, ac P. Herrgotto viſum ; viam ipſi aperuerit, illorum etiam Auctorem detegendi. En igitur fere alterum Simonidem, quem aliquando exclamâſſe ferunt : *Nunc bene navigavi, cum naufragium feci.* Tandem Adverſarius *Hiſtoriam litterario San-Blaſianum inſigni prorſus acceſſione* (quantum ſuſpicitur dum San-Blaſianus eſt, qui nuper, cum Murenſis eſſet, deſpiciebatur ?) *à ſe locupletatam* jactat. Sed quid ſi Chuno ille, quem ipſe Actorum auctorem conſtituit, non dico illorum Auctor non fuit (quod aliunde oſtendimus) ſed

(a) Pag. 118.

ſed ne Monachus quidem San - Blaſianus ? atqui hoc ipſum eſt, quod tamdiu negamus, donec Adverſarius gravem quemdam Scriptorem producat, qui illud affirmet (1). Dixi : *Gravem quem Scriptorem*, non purum putumque Bebelium, hominem nuperi ſeculi, & hunc San-Blaſianum Monachum (2). Antiqua ab antiquis petimus, dum verum quærimus : Ut adeo non facile credamus, quod ſcribitur, niſi is, qui ſcribit, aut coævus vel ſuppar ipſe ſit, aut coævum vel ſupparem allegет. Quam ergo omni ex parte anguſtatur Adverſarius ? *Hac urget lupus, hac canis*; adeo quidem, ut mirari ſatis non poſſimus, qui vir cætera ſane doctus ei applaudere voluerit (3) : ſed enim

It crebra, reditque,
Semper & immeritas mendicat epiſtola laudes. (a)

(a) Sectan. Serm 3.

(1) Rem gratam nobis faciet P. Ruſtenus, ſi eadem opera etiam de Abbatibus *Lutholdo* & *Rudolpho*, quos Murenſibus hactenus indiſtinctos, ipſe & diſtinguit, & tacentibus altum monumentis Murenſibus, itidem è S. Blaſio poſtulatos fuiſſe contendit, certiora nos edoceat. *Monumenta authentica*, qualia ipſe in calce pag. 100. jactat, lucem non verentur, multo minus ullam à nobis contradictionem patientur. (2) Murenſes ſane hoc ſolo auctore hactenus ſteterunt in iis omnibus, quæ de Chunone adhuc circumferuntur. (3) Eſt is Remigius Ceillierius Superior Flaviniacenſis in Lotharingia, ex cujus ad Adverſarium epiſtola quadam reſponſoria, quam hic in fine libri ſui II exhibet, apparet, mendicatum ab eo fuiſſe, ne deſit, quin data occaſione in ſua *Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum* (quippe cui ille tum illaborabat) Chunonem de S. Blaſio tanquam Actorum Murenſium auctorem laudet : quod quidem nihil aliud eſt. quam fucis ſuis Patronum, & modum quærere, quo pluribus ſpecioſe imponas. At nempe vinum mucidum indiget hedera.

CAPUT V.

De lacunis, quas in Genealogia Actis Murensibus præfixa de- & reprehendunt Adversarii.

1. JUxta superius dicta Adversarii nostri *circumspectatores cum oculis emissitiis* in schemate Genealogico Actis Murensibus præfixo non unam deprehendunt lacunam. Prima in ipso ejus vestibulo obveniat. Scriptor Murensis (inquiunt) (a) Genealogiam suam tantum ab Ita orditur, neque ad Guntramnum usque assurgit. Recte omnino: Sed & S. Matthæus (si sacra profanis componere licet) Genealogiam suam tantum ab Abrahamo orditur, neque ad Noemum assurgit. At Scriptor Murensis Guntramnum præ oculis habuit (b); quippe qui in decursu Actorum diserte nominatur. Recte & hoc: sed etiam S. Matthæus Noemum præ oculis habuit; quippe qui in decursu Evangelii iterato recurrit (c). Adverteris utique, quo tendam: Quæro nimirum, si S. Matthæum à culpa absolvas; quia ultra suam intentionem nemo obligatur; liberum autem illi fuerat Genealogiam suam, à quo vellet, ordiri: Cur non etiam Scriptorem Murensem absolvas, quia utique & huic liberum erat, à quo vellet, inchoare? Sed esto (inquit) (d) Guntramnum omittere potuerit Scriptor; debuisset tamen à Kan-

(a) Geneal. Diplom. prol. III. § XII. & XXI. Anonym. Murens. Adversarius Lib. I. cap. XI. § XIII. & XIV. item cap. XIV. § II. & tandem cap. XXII. § V. (b) Lib. cit. cap. XXII. § V. (c) cap. 24. v. 37. & 38. (d) Cit. lib. & cap. XXII. § V.

Kanzelino incipere ; quippe qui primus ex gente Habsburgica agri Murensis dominus fuit. Bene dictum, si Genealogi, à qua nos volumus, epocha ordiri tenentur, neque ipsi sibi quamcunque volunt, præstituere possunt: Quis vero ipsis illam necessitatem imponat, hanc libertatem adimat? Nemo unus utique, nisi qui ne tenuiter quidem sapit. Ergo Genealogus Murensis non tenebatur schema suum à Kanzelino ordiri, sed poterat hunc omittere; quia non tenebatur ad primum hujus nostræ viciniæ Dominum Habsburgicum assurgere, sed à primaria Monasterii nostri Fundatrice exordium ducere volebat pius gratusque Actorum fundationis Scriptor; quæ causa utique est, cur ipsum etiam Radebotonem præterierit.

II. Alterum, quod Scriptori nostro culpæ vertunt Adversarii (a) est, quod in secunda & tertia Generatione ex pluribus filiis unum tantum nominet. Sed nihil facilius excusatur. Factum id certissime, quod Scriptor illos tantum Genealogiæ inserere constituit, qui ad eam contexendam necessarii erant, aut in ipsis Actis non recensentur: Jam vero illi, quos in dictis Generationibus omittit, & steriles rami fuerint, & in actis non semel commendentur. At Anonymus Genealogiam completam promisit (b) cum ait: *Ista est Genealogia nostrorum Principum.* Itane vero? Ergone, quia Genealogiam spondet, hoc ipso ad completam sese adstringit, & solus P. Rustenus non advertat, substan-

(a) P. Herrgottus quidem proleg. III. § XIII. & XIV. P. Rustenus autem lib. I. cap. XI. § XIII. Item cap. XV. § I. & cap. XVII. § I. III. (b) Cit. lib. & cap. XI. § XIV.

ſtantivum *Genealogia* indifferens eſſe ad utrumque Epitheton *completa* & *incompleta ?* Ipſe ſolus ignoret, *prædicatum propoſitionis affirmativæ ſemper habere ſenſum particularem & disjunctivum :* Ut *omnis homo eſt animal*, puta : *Eſt aliquod animal, rationale vel irrationale ?* quam parum igitur S. Matthæus (ſi hunc usque excitare liceat) integram Genealogiam dare voluit, etſi illam his verbis incipiat : *Liber Generatiois JEſu Chriſti* ; tam parum etiam Anonymus noſter id ſecum conſtituiſſe cenſendus eſt, utut dicat : *Iſta eſt Genealogia noſtrorum Principum* ; cum alioquin illos, quos omiſſos hic queruntur Adverſarii, non præteriiſſet, in Actis nominatiſſimos.

III. Tertius defectus, quem ſcriptori noſtro objectant Adverſarii, ſit hic : quod, ubi filios Richenzæ de Lenzburg enumerat, nec Conradi, nec Henrici meminerit (a). Hæc objectatio ſequela eſt opinionis, quod Richenza uxor fuerit Ulrici divitis Comitis de Lenzburg, patris Conradi & Henrici : atqui iſta opinio fallit, ut ſequenti capite demonſtrabimus : ergo (ſi quid judico) ſcriptor noſter laudem potius meretur, quam vituperium, quod binam hancce Ulrici prolem proli Richenzæ non adnumerârit. Quod attinet Rudolphum, quem P. Ruſtenus hic (b) pariter omiſſum queritur (non quia is re ipſa filius fuerit Richenzæ, ſed quia frater erat Chunonis, Wernheri, & Arnoldi, quos Scriptor noſter Richenzæ filios conſtituit) quod inquam, hunc Rudolphum attinet, mirari ſubit, quî fiat, ut Adverſarius illum invenire nequeat, cum tamen

(a) P. Herrgottus prol. III. § XIII. P. Ruſtenus lib. I. cap. XV. § V. (b) Cit. cap. XV. § V.

men eundem nominari, alibi (a) ipſemet (ut quidem par erat) affirmet, quod & P. Herrgottus facit? Anſam errandi homini præcipiti haud dubie præbuit, quod, ubi ſcriptor noſter liberos Richenzæ in obliquo recenſet, dicens: *Richenza de Lenzburg genuit Arnoldum, Chounonem, Wernherum*, nulla Rudolphi mentio fiat: at nemo non advertit, hanc omiſſionem ſoli exſcriptori tribuendam eſſe; quandoquidem mox in ſequenti linea, ubi iidem liberi in recto recenſentur, expreſſa Rudolphi mentio fiat, in hæc verba: *Ruodolfus genuit Hunbertum, Uodalricum, Arnoldum, Ruodolfum & ſorores eorum.*

IV. In octava & ultima progenie (pergunt Adverſarii) (b) iterum hæret aqua, & defectus non leves ſe produnt. Quinam illi? Primo, inquiunt, nomina filiarum Alberti, nempe Berchtæ, & Eliſabethæ omiſſa reticentur. Veriſſime dictum: Undenam autem probant Adverſarii, quod Albertus binas haſce filias procreârit? an ex Diplomatibus chartisque authenticis? atqui *de filiabus Alberti* (inquit P. Herrgottus) (c) *in monumentis noſtris altum ſervatur ſilentium.* An ergo ex Scriptore aliquo coævo vel ſuppari? Minime gentium: Sed *Guillimannus* (pergit Cl. Pater) *Alberto duas aſſignat filias.* Pulchra (ſi ſuperis placet) ratiocinandi methodus, maxime ab eo, qui nihil, niſi quod Diplomata produnt, acceptare vult: Guillimannus præteriti ſeculi ſcriptor Alberto trecentis circiter & ſexaginta annis ante defuncto duas aſſignat filias: Ergo Scriptor

P Mu-

(a) Lib. cit. cap. ult. § II. (b) P. Herrg. prol. III. § XIX. P. Ruſten. lib. I. cap. XXI. per totum. (c) Lib. II. cap. I. § XI.

Murensis patrius & synchronus, qui de illis silet, progeniem Alberti mendose scripsit. Sed nempe *tantum defertur recentioribus, ubi de labefactanda integritate Auctoris antiquissimi agitur* (a), verba sunt Vindicis nostri, quibus addere liceat, quod, etiamsi Albertus filias procreâsset (quod non omni ratione caret) tamen non videamus, cur Adversarii hic scriptori nostro succenseant: Vel quia, cum scriberet, illæ fortâssis necdum natæ erant; vel quia, cum dicat: *Alberctus genuit Ruodolfum, Hartmannum: Sed Ruodolfus frater dicti Albercti genuit Goetfridum, Wernherum & alios quam plures*, postrema hæc verba etiam ad progeniem Alberti extensam voluit.

Alter non levis, cujus Adversarii Genealogum nostrum in hac octava Generatione reum agunt, defectus sit, quod sæpe dicto Alberto duos tantummodo filios assignet, prætermisso Rudolpho, qui anno 1273. Romanorum Rex electus fuerat. Quærere autem hic liceat, quamnam in causam hanc omissionem referant? Nempe vel in ignorantiam, vel in immemoriam. Si autem Genealogus noster demum finiente seculo XIII. scripsit (ut Adversarii aut P. Rustenus saltem vult) qui Rudolphum, sub id tempus sexcentis jam rebus celebrem, jam quoque & Dominum suum, & Advocatum & Benefactorem, immo & Cæsarem vel ignorare, vel oblivisci poterat? Ergo hæc omissio non ipsimet Auctori, sed exscriptori tribuenda est, qui cum nomen *Ruodolfi* paucis in lineis sæpius recurrat (ut Genealogiam legenti patet) illud semel transsilivit. At jux-

(a) Lib. I. cap. XIX. pag. 141.

juxta nos composita est hæc pars Genealogiæ, cum Rudolphus adhuc intra annos juventutis versaretur. Sane quidem hæc nostra est sententia: Credimus etiam, neminem prudentum eam in dubium vocaturum; quandoquidem, si pars illa tunc demum concinnata esset, cum Rudolphus jam canescere cœpit, Auctor haud dubie & hujus prolem enumeraturus fuisset. An vero ideo, quod tituli illi, ob quos culpam omissionis in exscriptorem referendam diximus, si pars illa Genealogiæ demum finiente seculo XIII. elaborata fuisset; tunc, cum revera elaborata fuit, Rudolpho necdum convenere; an ideo, inquam, culpa in Auctorem referenda est? Rationem id negandi ipse P. Rustenus nobis subministrat, cum Peireskium impugnans, qui inter alias rationes (ut verum fatear, parum solidas) ob quas Rudolphus forte omissus sit, & hanc affert: Quod Monachis Murensibus necdum innotuerit, exclamat: *Si natu minores innotuerunt, cur non & primogenitus* (a)? Siquidem ergo Adversario incredibile videatur (ut quidem est) quod Scriptor noster, cum secundo ac tertio genitos & sciret, & cogitaret, primogenitum vel nesciret, vel non cogitaret; quid superest, nisi ut mendum ab exscriptore admissum dicamus? Immo ad hoc statuendum nos alia adhuc ratio inducit. Si ipsemet Genealogus duos tantummodo filios Alberto tribuisset, utique non dixisset: *Albertus genuit Albertum, Hartmannum*; sed: *Albertus genuit Albertum* ET *Hartmannum*: Neque enim omittimus, vel unquam omittit Genealogus particulam ET, ubi duo

(a) Cit. cap. XXI. § III.

tantummodo nominandi sunt : Ergo hoc ipso quod illam omittat, docemur, quod & tertium apposuerit. Ultimus tandem defectus sit hic, quod ubi Genealogus noster Rudolphi Taciturni progeniem describit, ex sex filiis solummodo duos nominet, utputa Goetfridum, & Wernherum, ut mox audivimus. Si autem Adversarii erga Scriptorem nostrum tam bona essent voluntate, quam mala sunt, vah ! quam facile illum ipsi excusarent ? Noverat is utique numerosam Rudolphi prolem, & eandem etiam cogitabat ; prout utrumque probant verba : *Et alios quam plures.* Haud dubie ergo illam ideo minus curabat, quod, præterquam lineam collateralem tantum constitueret, majorem partem minoris adhuc ætatis esset.

V. Ex dictis colligent Adversarii, quid respondendum ipsis putemus, cum ex objectis omissionibus utriusque Genealogi nostri in rebus Habsburgicis auctoritatem diminutam volunt, ut qui res illas parum perspectas habuerint. Omissi sunt Guntramnus, Kanzelinus, Radeboto, haud dubie quia ab Ita Fundatrice initium ducere secum constituerat pius gratusque Actorum Fundationis scriptor. Omissi sunt Otto I. Adelbertus I. Adelbertus II. ; utique quia illos solummodo Genealogiæ inserere volebat Auctor, qui ad illam contexendam necessarii erant, aut in ipsis Actis non memorantur. Omissi sunt Henricus & Conradus Comites de Lenzburg ; quia Genealogus Habsburgicus non filios Ulrici divitis (quales illi erant) sed filios Richenzæ (quales illi non erant) enumerare habebat. In proge-

genie octava omiſſæ ſunt Berchta & Eliſabetha ; vel quia Albertus nullas ejus nominis filias habuit, vel quia illæ, dum ſcriberet alter Genealogiæ auctor, necdum natæ erant. Denique in eadem Generatione ex ſex filiis Rudolphi Taciturni duo tantum nominantur : complexus tamen eſt ſcriptor reliquos quatuor (quemadmodum forte & filias Alberti) ſub verbis : *Et alios quam plures.* De Rudolpho filio Richenzæ de Lenzburg, & de Rudolpho filio Alberti poſtmodum Rom. Rege nihil dicimus ; eoquod prior revera nominetur, alter ab exſcriptore tantum omiſſus videatur. Siquidem ergo omiſſiones iſtæ longe alias in cauſas referri poſſunt, &, attentis iis, quæ nuper ſub finem Capitis III. diximus, in alias, quam quæ à P. Ruſteno aſſignatur (aſſignat autem ignorantiam) referri etiam debeant ; ſequitur, ut inferre nullo modo liceat, quod Scriptor noſter ſuam in rebus Habsburgicis fidem proſtituerit.

VI. Hactenus de defectibus, quos Adverſarii noſtri utique Genealogo Murenſi objectant : Nunc antequam & de erroribus, quos ipſi itidem magno numero deprehendiſſe ſe putant, videamus ; non poſſumus non aliqua in ſphalmata, quæ P. Ruſtenus occaſione pertractatæ hucusque materiæ admittit, animadvertere. In aliqua inquam : Quippe cum, ſi in omnia inquirere vellemus, appendix ipſo hoc capite longe major futura eſſet. Ex plurimis ergo primum ponimus, quod quas neſcio iras præferat, quod Scriptor noſter in Genealogia ſua Habsburgica, quandoque etiam illorum

lineam gentilitiam insinuet, quos contracta per fœminas cognatio commendabat: Quales e. g. sunt Comites de Lenzburg ex Richenza filia Radebotonis prognati, qui (inquit) (a) *non potuissent modo, sed & debuissent negligi.* Si verùm culpa hæc est; quidni potius P. Herrgotto succenses; quandoquidem is utique longe majorem irascendi causam tibi præbeat; ut qui totum librum sextum consanguineis & affinibus Habsburgicis destinavit? Putâssem ego, scriptorem nostrum ejusmodi digressionibus (si tamen digressiones sint) quæ tantum luminis rei & Genealogicæ & Historicæ affundunt, gratiam potius quam invidiam subiturum. Alterum, quod hic animadversionem meretur, est responsio illa, quam Adversarius Vindici nostro reddit, ubi hic P. Herrgottum inconstantiæ postulat, quia quasdam proles Habsburgicas Genealogiæ suæ inserere dubitat, eoquod illæ à solo Scriptore Murensi memorentur; cum tamen Albertum I., utut is pariter à nemine alio, quam ab eodem celebretur, in ea locum det. Respondet autem P. Rustenus P. Herrgottum de hoc Alberto nihil statuere (b) id quod aperte falsum est. Ut enim sileam, quod diserte dicat: *Prolem Radebotonis* (ex qua & Albertus I. est) *si quaris, integra serie recensitam habes in Actis Murensibus* (c): Quæ verba sane ita comparata sunt, ut palam ostendant, eum ne minimum dubium habuisse, quin Albertus filius fuerit Radebotonis: Id quod ex indice operis amplius confirmatur; ut ubi ad ipsissimum, quem modo citavimus, locum provocans ait: *Albertus I. Comes filius Radebotonis*: Quæso!

(a) Lib. I. cap. XVII. § III. (b) Lib. I. cap. XX. § IV. (c) Lib. II. cap. VII. § V.

ſo! quid Adverſarium certius confundere poſſet, quam quod P. Herrgottus hunc Albertum ſchemati ſuo Genealogico ad calcem Libri II. appoſito inſerat (a); cum (quod bene notandum) omnes alias proles, quas in Genealogiam Habsburgicam admittere alibi dubitat, quia in ſolo codice Murenſi celebrantur, inde excludat? Videat ergo Adverſarius, quorſum ſui conatus recidant: Dum clientem ſuum ab inconſtantia liberare vult, & fruſtra laborat, & ſeipſum falſitatis reum facit. Sed progrediamur. Ubi Genealogiam Murenſem operi ſuo inſerit Vindex, *ſubjungit aliquid* (inquit Adverſarius) (b) *quod ſibi haud dubie excidiſſe nollet.* At quodnam illud tantopere pœnitendum? Nempe, quod dicat (c): *Scriptorem noſtrum non voluiſſe arborem Genealogicam erigere omnibus numeris abſolutam, ſeu in ſingulos prorſus ramos extenſam*; his etenim aperte contravenit Dominico Tſchudio, qui ait: *Sciendum in Genealogia hac ex profeſſo Comitum de Habsburg originem & ſucceſſionem deduci* (d). En enim Tſchudius affirmat: In Genealogia hac ſucceſſionem Comitum de Habsburg *ex profeſſo*, ſeu data opera tradi; Vindex contra: Auctorem id facere noluiſſe, quæ è Diametro ſibi oppoſita ſunt. E Diametro etiam? Ergo. Si quis diceret: *Hic Scriptor res Gallicanas litteris mandavit, ex profeſſo quidem; ſed celebriores tantum:* Talis ſibi ipſe contraveniat, & quod prima propoſitione affirmat, altera neget? Mihi hercle non fit vero ſimile. Quid enim eſt aliquid tractare *ex profeſſo?* Utique ex conſtituto,

præ-

(a) Pag. 200. (b) Lib. I. cap. XIII. § VII. (c) Lib. I. cap. XI. pag. 77. (d) In Orig. Com. Habs. edit. II. pag. 101.

præcipue, primario: Vel, non præter institutum, non incidenter, non secundario; sive deinde secundum totam rei latitudinem, sive certos intra limites. Quæ ergo contrarietas in utriusque Scriptoris nostri Tschudii videlicet, & Vindicis verbis: Genealogi Murensis intentio primaria erat, Genealogiam Habsburgicam dare; sed (addit Vindex) non completam? Jam male habet Adversarium (a), quod Vindex noster eodem, quem modo audivimus, loco *ramos* adpellet etiam illos, qui stirpem non propagârunt. En! quam anxie omnia rimetur religiosus Censor. Nolumus hic multis litem de nomine instituere: Fortassis exemplum à viro latini sermonis utique optime gnaro mutuatum sufficiet ad præcipitem Adversarii nostri in reprehendendo calorem mittigandum. Est is Chifflelius, qui de Rudolpho hujus nominis quarto Habsburgi Comite agens ait (b): *Ille certe in Austriaci stemmatis gradu XXIII. debuisset collocari; sed fœcundissime arboris steriles ramos paginæ nostræ angustia non admisit.* Adhuc unum: Ubi P. Herrgottus progeniem Rudolphi Taciturni, prout illa in Genealogia Murensi describitur, mancam proclamat, quia ex sex filiis duos tantum suo nomine compellari advertit; isthoc segmentum ita concludit: *Sed valeat hic stylus Auctoris laconicus, quo forte ob chartæ angustiam per subjectam hanc formulam: ET ALIOS QUAM PLURES omnium optime & brevissime sese in rebus Genealogicis expetit* (c). Clausulam hanc Auctor Vindiciarum *Epiphonema* vocat: Sed *nescio* (inquit P. Rustenus (d) *num recte.* Hæccine ego vero credam

Te

(a) Cit. cap. § VIII. (b) Stem. Austr. cap. II. pag. 33. (c) Prol. III. § XIX.
(d) Lib. I. cap. XXI. § IX.

Te esse oblitum, in ludo qui fuisti tam diu? (a)

debeo sane, quia id ipse fateris. Ad talem ergo te remitto, à quo denuo discere te utique non puduerit. Erasmus is est, qui cum dixisset, Epiphonema genus esse sententiæ, subdit; *Neque tamen quodvis Epiphonema continuo sententia est, etiamsi plerumque est: Verum quidquid in clausula argute additum ferit aurem, Epiphonema dici potest* (b).

(a) Plaut. in Asinar. (b) Erasmus apud Stephanum V. Epiphonema.

CAPUT VI.

Vindicatur Anonymus Murensis ab objectis erroribus.

A Defectibus gressum jam facimus ad errores, quos Anonymo nostro magno itidem numero objectant Adversarii, Materiem in quatuor Paragraphos ita partimur, ut primum Radebotonis Habsburgi Comitis Conjugi, Itæ videlicet Lotharingicæ ejusque stemmati, alterum ejusdem Radebotonis filiæ Richenzæ, cuidam ex Comitibus de Lenzburg nuptæ, tertium Itæ de Thierstein, quartum & ultimum tandem cœteris (ut Adversarii vocant) erroribus tribuamus.

§ I.

1. STema Itæ, quæ Radebotoni nupta fuit, Anonymus noster sic describit (a): *Theodricus Dux Lotharingorum, & Chouno Comes de Rinfelden fratres fuerunt; horum*

Q

(a) Pag. 1.

rum ſoror (Theodorici Germana , Chunonis Uterina ; uti alibi explicat) *fuit Ita Comitiſſa de Habspurg. Genuit autem Theodricus Gerhardum Ducem* : *Ille vero genuit Gerhardum de Egisheim , patrem Uodelrici & Stephani. Chouno Comes de Rinfelden genuit Ruodolfum Regem* (qui Henrico IV. per Gregorium VII. excomunicato , apud Forchemium electus, ſed in prælio anno 1080. menſe Octobri ad Elyſtrum comiſſo vulneratus , Merſeburgi obiit, ac ſepultus eſt) *& ille genuit Agnetem matrem Cuonradi Ducis* Zaringiæ, filii Berchtoldi. At *quanti* (exclamat Adverſarius) (a) paucis in lineis *errores ?* Ut vix verbum ſubſiſtat, ſanumque ſit ; quod ut oſtendat, cum ad P. Herrgottum confugere non poſſet , ut qui hic nihil reprehendit , Rev^mum^ olim Abbatem Calmetum & hujus mendoſum fragmentum Genealogiæ Comitum Barrenſium à ſe inſigni adhuc mendo auctum (1) in ſubſidium vo-

(a) Lib. I. cap. III. § X.

(1) Mendoſum voco illud fragmentum Genealogiæ Comitum Barrenſium à Calmeto concinnatæ ; quia revera eſt. Theodorici , qui Fridericum I. patrem habuit, poſteritas maſculina non jam in filio (ut Cl. Auctor hic vult) ſed demum in nepote deſiit ; uti diſcimus ex Chronographo S. Michaëlis, Auctore coævo, qui ap. Calmet. Hiſtor. Lothar. edit. nov. in probat. Tom. III. pag. CII. ait : *Cunctu morbo abſumptu , Theodorico , filio ejus , & filio filii &c.* Clarius adhuc Bajonus , qui l. II. cap. 28. ſic habet : *Theodoricus Dux obiit , cui Fridericus ex filio nepos , quia ipſe ſuus æquivocus* (Theodoricus nempe, ut recte Calmetus alibi) *antea obierat , ſuccedens, Lotharingicu præfuit.* Huic errori inſignem alium addit Adverſarius cum Theodorico præter Fridericum II. alium adhuc ejusdem nominis filium obtrudit, qui inde ab anno 1047. usque ad annum 1072. Metenſem Eccleſiam gubernârit. Theodorici filius, quem P. Ruſtenus hic in mente habuit , Adalbero vocabatur , non Fridericus. Adalberonem ergo cum Calmeto ponere debebat ; ſatis adhuc erratum fuiſſet. Adalbero enim III. inde ab anno 1047. usque ad annum 1072. Epiſcopus Metenſis, filius erat Friderici I. Comitis de Luxenburg, ut ipſemet Calmetus itidem contra ſe ipſum advertit (Tom. II. lib. XX. pag. 273. & alibi) adeoque longe alius ab Adalberone Theodorici filio, qui quidem Cathedræ Metenſi deſtinatus erat, ſed adhuc in pueritia obiit. *Quanti* ergo *errores* (exclamare hic cum Adverſario lubet) *quæ rerum omnium confuſio, turbatioque ?*

vocat. At cui lucro? Judicent, qui noſtra legere dignantur.

II. Juxta Anonymum noſtrum Ita ſoror fuit Theodorici Lotharingorum Ducis: Sed cujus Theodorici? an ſecundi, quod Vignerius putabat? Sed temporum ratio obſtat; ſiquidem Ita ineunte ſeculo XI., Theodoricus autem iſte demum ineunte ſequenti ſeculo XII. (a) vixerit. An ergo ſoror erat Theodorici I.? Tempora accurate conveniunt: Obiit enim Theodoricus I. filius Friderici I. & Beatricis Ducum Lotharingiæ & Barri Comitum anno 1024. (b) quo ipſo circiter Ita condendi Monaſterii Murenſis conſilium cepit. *Sed Itam ex Friderico & Beatrice prognatam fuiſſe* (Inquit Calmetus, & poſt ipſum P. Ruſtenus) (c) *nobis plane peregrinum eſt; omnes contra domeſtici Hiſtorici, & Chronographi affirmant, eisdem præter Thietricum, ſeu Theodoricum nullam fuiſſe ſobolem.* En apertam hallucinationem. Quinam enim illi, non dico multi, ſed unicus, qui id affirmet? Ego nec unicum ſcio. Argumentari ergo volebat Calmetus ab argumento negativo, ac dicere: In monumentis Lotharingicis ſolius Theodorici mentionem fieri: Sed & hoc erroneum eſt; prouti bene ſuboluit P. Ruſteno, imo ipſemet Calmetus ſatis aperte fatetur, cum Frideri-

(a) Obiit enim anno 1115. ut recte advertit Calmetus Hiſt. Lothar. Tom. II. l. XX. edit. nov. pag. 243. non autem 1070. quod apud eundem Tom. I. pag. CXCIX. legimus: anno 1114. enim adhuc vixerat, ut patet ex ejus Epiſtola hoc ann. ad Paſchalem II. Papam data apud eundem Calmet Tom. I. pag. CCXVIII.

(b) Sic recte Calmetus Tom. II. lib. XVIII. pag. 43. id enim hoc loco plane probat. male ergo alibi, utputa Tom. I. pag. CCLXXVII. mortem ejusdem Theodorici ad annum 1025. refert.

(c) Calmetus quidem Tom. I. pag CXCVIII. P. Ruſtenus autem cit. lib. & cap. § XI. pag. 23. & 24.

rico I. præter Theodoricum etiam Adalberonem, & Hezelinum filios assignat, equidem probatæ fidei testimoniis subnixus. De Ita negare non possumus, altum in monumentis Lotharingicis à Calmeto productis silentium esse: Quid vero tum?

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi: Sed omnes inlacrimabiles
Urguentur, ignotique longa
Nocte; carent quia vate sacro. (a)

Non possumus hic Calmetum non suis verbis impugnare. Ipsemet fatetur 1^m· Genealogiæ Barrensi, tam quæ à se, quam quæ ab aliis elaborata est, multa adhuc deesse, donec perfecta evadat (b): 2do· Illis seculis, quibus Itæ memoria vigere poterat, Lotharingiam raros admodum, nec nisi negligentes scriptores aluisse (c): 3^tio· ex his ipsis hodie vix paucos superesse (d): 4to· Illos, qui adhuc extant, uti propemodum infinitas, ita sæpenumero non leves res sicco vestigio præteriisse (e). Quod si ita: Quo jure ad scriptorum Lotharingicorum silentium provocatur? Judicent, qui non ignorant, quas conditiones Eruditi requirant ad hoc, ut argumentum inficiale vim habeat. Accedit, quod cum Ita in flore juventutis patria excesserit, facile fieri potuerit, ut scriptoribus coævis (maxime ideo, quia, ut mox dicemus, Genealogica ab eorum scopo aliena erant) memoriæ non occurreret; à subsequis autem omni-

(a) Horat. IV. Carm. 9.
(b) Tom. II. sub finem, ubi scilicet errata corrigit, col. 4.
(c) Tom. I. præf. § IX.
(d) Ibidem § VIII. & XXIV.
(e) Tom. II. lib. XIX. pag. 58. & 59.

nino ignoraretur. His adde, quod cum argumentum negativum juxta com̃unem Eruditorum ſententiam (a) tunc tantum vim habeat, ſi res in quæſtione poſita, ſcopo operis à ſcriptoribus, ad quorum ſilentium provocamus, ſibi propoſiti conveniat (b); ſi de ea materia ex profeſſo ſcribant; ſi ſpecialia motiva habuiſſent, mentionem de ea inferendi: Porrò ex ſeculo X. & XI., quorum ſub alterius finem, alterius ſub initium Ita vixerat, im̃o etiam ex duodecimo, Calmetus nihil producat præter pauca quarumdam Eccleſiarum Chronica, quæ tantum abeſt, ut Ducum Lotharingiæ aut Genealogiam aut Hiſtoriam tractent, ut illas ne quidem attingant niſi admodum raro, quando nimirum iſtarum Eccelſiarum (quibus vero Ita utique nec boni quidquam nec mali attulit) res id exigunt: Profecto non videam, quo cum fundamento hic ad argumentum negativum recurrere liceat, maxime contra ſcriptorem, quo nemo melius Itæ ſtem̃a noſſe poterat.

III. Alterum, quod Adverſariis in citato Anonymi noſtri loco diſplicet, eſt, quod Theodoricus Gerardum genuiſſe dicatur: *Genealogia* enim *S. Arnulphi*, ajunt, *expreſſe notat, Theodoricum Beatricis filium, huncque patrem Ducis Friderici conſtituit, adeoque non Ducis Gerardi.* Bella argumentatio! *Theodoricus genuit Fridericum: Ergo*

(a) Vide Amort princ. art. crit. Part. II. § 4. n. 1. Fortunati à Brixia Log Part. II. Sect. VII. Art. IV. pag. 116. alioſque.

(b) *Sicut enim noſtris temporibus* (inquit cit. Cl. Amort) *multa à plurimis ſciuntur, quæ poſſent ſcribi pro notitia poſteritatis, etiam memorabilia, & tamen non ſcribuntur, quia ſcopus cujusque viri docti non permittit, ut de qualibet re memorabili ſcribat; ſic nec antiquitus id fieri potuit.*

go non genuit Gerardum. Bella, inquam, argumentatio! quippe ſimilis huic; *Leopoldus Cæſar genuit Joſephum: Ergo non genuit Carolum.* „ Veneramur quidem (inquit Vindex noſter (a) famoſiſſimam hanc (S. Arnulphi) „ Genealogiam, conſcriptam anno 1261., ut Auctor „ ipſius prodit; at completam undequaque non eſſe, „ vel ipſe Rev^mus. Calmetus nos docet, qui eam quidem „ probationibus inſerit; verum geneſin Comitum Bar„ renſium deſcribens, Friderico I. præter Theodori„ cum adhuc Adalberonem, & Hezelinum, item The„ odorico præter Fridericum II. etiam Simonem, A„ dalberonem filios adſcribit. Nimirum proſequuntur „ ſæpe Genealogi unam ejusdem ſtirpis lineam, reli„ cta altera: at non ideo domo excluſum vult Cajum, „ qui in ea locum concedit Sempronio. Multo minus „ ex eo, quod Friderico I. Theodoricus, Theodorico „ Fridericus II. procreatus in illa S. Arnulphi Genealo„ gia affirmetur, aliam iis adhuc ſobolem fuiſſe nega„ tur „. Hæc Vindex noſter: Ut proinde ſatis mirari non poſſimus audaciam, qua P. Ruſtenus in illum, ut prolixe, ita acerbe invehitur (b), ac ſi objecta Calmeti diſſimulâſſet. An fortaſſis id ideo factum, quod, cum reſpondere nequiret, ipſe ſibi diſſimulandum videret?

IV. *Chuno de Rinfelden* (pergunt Adverſarii) *quem* Scriptor noſter, *pro fratre uterino Itæ Comitiſſæ venditat, novum difficultatis nodum involvit*: Neque enim (ait uterque) Beatrix mortuo Friderico ad ſecundas nuptias tranſiit; neque, ſi tranſiiſſet, adhuc filium parere po-

(a) Part. I. cap. XXIV. pag. 169. (b) Cit. lib. I. cap. III. § XII.

poterat ; quippe quæ tum minimum 50. annos agebat. Beatricem post mortem Friderici viduam mansisse ; duobus (ni fallor) argumentis probare volunt. Primum à scriptorum Lotharingicorum silentio petunt; quod genus argumenti, cum de eo satis jam dictum sit, supervacaneum foret pluribus refellere. *Esset* quidem *egregium* (inquit alicubi Tullius) (a) *non quærere externa, domesticis esse contentos* ; quæ autem Provincia tanto veterum monumentorum superbit thesauro, ut qui ejus Historiam meditatur, subsidiis aliunde quæsitis non indigeat ? Si celeberrimus Historiæ Lotharingicæ Auctor domesticis solummodo scriptoribus fidem habuisset : Vah ! quanta parte minus esset grande ejus opus ? Secundum argumentum contra iteratum Beatricis matrimonium inde deducunt Adversarii, quod, ut Bayon (b) testatur, mortuo Friderico Lotharingiæ administrationem tenuerit, quamdiu Thodoricus filius minorennis erat. Quasi vero, si alteri marito nupsisset, illam tenere non potuisset. At esto (inquit P. Rustenus) quod Beatrix mortuo Friderico ad alteras nuptias convolârit ; non poterat tamen adhuc filium procreare : Quia, cum in charta quapiam Senonensi (ut Calmetus testatur) (c) anno jam 938. Ducissa apelletur, anno 984, quo scilicet Fridericus obiit, minimum

(a) De Orat. 4.

(b) L. II. cap. XLVI. Scripsit autem Bayonus (ut Vind. noster recte observat) anno 1326., non anno 1220. ut Rustenus vult. ætatem suam Scriptor ipse utique non ignoraverit: Is autem in prologo diserte ait : *Ego Frater Joannes de Bayon anno Verbi incarnati millesimo trecentesimo vigesimo sexto quæcunque habere potui, sub uno voluminis textu breviter coarctavi.* Viderit ergo P. Rulten. quam inique Vindici nostro succenseat lib. I. cap. XXIV. § III. quod Bayonum hoc anno scripsisse dixerit. (c) Tom. I. col. CCLXXXV.

mum quinquagenaria erat. Putat ergo, quod, quo tempore Beatrix Ducissa vocabatur, tunc jam aliquantulum adoleverit; Ut quid vero ita? Si quadrimum, aut quinquennem *Ducem* vocare licet, qui filius *Ducis* est; cur non & hodie natum eandem quidem ob caussam hoc titulo donare liceat? Scire debuisset Adversarius compellatorios ejusmodi titulos etiam infantulis competere. Sic Marculfus (a) filium Regis hodie natum *Regem* vocat in Lemate Capitis *pro nativitate Regis*. Sic in charta quadam Alphonsi nobilis Castellæ Regis pro Cœnobio S. Petri Burgensis Casæ Dei legimus: *Facta charta ista . . mense secundo, ex quo natus est REX Sancius, præfati Regis Castellæ filius* (b). Sic hodie dicimus: *Huic Comiti illi Duci, hoc illo die, Comes Dux natus est* (1). Ergo charta Senonensis de anno 938. hactenus tantummodo probat, Beatricem hoc anno jam natam, minime vero etiam aliquantum adultam fuisse. Ponamus ergo, chartam hanc finiente anno 938. datam fuisse (quod plane dicendum est, si de nostra Beatrice intelligi debeat; quandoquidem Hugo, & Hadevvidis Beatricis hujus parentes isthoc demum an-

(a) Lib. I formul cap. 39. (b) Apud Mabillon. de re Diplom. lib. II. cap. XXI §IX. pag. 111.

(1) Usus nomen *Regum* & *Reginarum* filiis & filiabus Regiis imponendi antiquissimus est. Vid. Demster. de Etruria regali Tom. I. lib. 2. cap. 43. pag. 190. 191. Servius Maurus in Eclogam tertiam Virgilii ad finem sic loquitur: *Regum nomina non quasi Reges ipsi fuerunt, sed quia Regum filii, ut*: Magnum Reginæ sed enim missertus amorem, *cum de Ariadna diceret Pasiaphes Reginæ filiâ.* Videatur idem Auctor in lib. I. Æneid v. 277. Statius lib. II. Achileid. v. 671. Claudian. de laudibus Serenæ filiæ Theodosii Aug. & in Epigram. de munerib. Honorio Imp. missis &c. Usum hunc adhuc Seculo XII. obtinuisse probant verba S. Bernardi, quibus Serm. I. de adventu. n. 2. ait: *Nam & filios Principum Principes, & filios Regum Reges esse quis nesciat?*

anno connubium inierunt) Fridericus autem Beatricis maritus anno 983. vel 984. ineunte ad plures abierit: posito hoc Beatrix mortuo Friderico 44. tantum, aut 45. ad summum agebat annos; Sed demus, Beatricem, cujus in hac charta mentio fieri dicitur, jamjam adultam fuisse; an ideo res confecta est? probare prius deberet Adversarius, Beatricem hanc eandem fuisse cum Uxore Friderici, & tunc demum inferre, quod impossibile sit, ut hæc post annum 984. adhuc filium procrearet. At hoc opus hic labor est: Opus arduum, labor irritus. Cum enim (ut paulo ante innuimus) teste Flodoardo (a) auctore coævo, quem ideo, quotquot sunt Scriptores recentiores, hac in re sequuntur, Hugo Magnus (alias *Albus* & *Abbas*) Franciæ ac Burgundiæ Dux, & Hadevvida Imperatorum Henrici I. cognomento aucupis filia, Ottonis I. seu Magni soror, demum anno 938. matrimonii fœdere juncti fuerint: qui Beatrix isthoc ex conubio nata, hoc ipso anno jamjam adulta, atque adeo eadem cum illa esse poterat, quæ in charta Senonensi celebratur? At me lævum, qui de charta hac, quam non solum, cujus ætatis authentiæ tenorisque sit, ignoramus, sed ne quidem in rerum natura existere, aut extitisse scimus, multis disputo! Ne quidem in rerum natura? ita est; id enim plane affirmat Cl. P. Augustinus Guillemin ipsissimæ Abbatiæ Senonensis, ubi charta illa asservari fingitur, Asceta pereruditus, cui eo magis fidendum, quod, cum a pluribus jam annis, novæ Du-

R ca-

(a) In Chron. ad annum 938. *Hugo Princeps, filius Roberti, sororem Othonis Regis Transrhenensis, filiam Henrici duxit uxorem.*

catûs Barrensis historiæ illaboret, utique non omiserit quæcunque monumenta ad intentum finem facientia domi suæ sunt, exquirere. Hic vero ad me ita perscribit: *Quæris ex me, quid sentiendum de charta illa Senonensi, quæ juxta D. D. Calmetum, Beatricem jam A.* 938. *Ducissam apellet? scrupulum tibi evello: Charta hæc neque extat, neque extitit unquam, quod vel hinc colligere potuisses, quia D. D. Calmetus illam suæ collectioni non inserit: quod, cum alias ejusmodi monumentorum prodigus sit, utique non fuisset facturus, si eam ad manus habuisset.* Hæc Cl. Guillemin, cui (ut id addam) etiam ideo magis credendum, quod epistola, qua hæc ad me perscribit, antequam Senonis abiret, adhuc alteri ejusdem Abbatiæ viro docto, nempe Cl. P. Maximino Knöpfler lecta & examinata sit, qui in litteris eodem tempore ad me datis Sodali suo hac in re ne verbo quidem contradicit. Quodsi ergo charta illa Senonensis nec extat, nec unquam extitit; unde P. Rustenus probabit, quod impossibile fuerit, ut Beatrix ex altero connubio adhuc filium susciperet? Tacebit, & recte faciet. *Cum* enim (verba sunt Illustr[mi.] Marchionis Genderii (a) *Friderico desponsaretur, antequam nubilis esset*, (desponsabatur autem illi anno 951. (b) *eidem nupsit, quam primum per ætatem licebat. Si ergo anno* 954. (quo scilicet thorum adiit) (c) *duodennis fuit* (uti nuper defuncta Parmæ Ducis conjux moderni Galliarum Regis filia) *anno* 984. *qui Friderico fa-*

ta-

(a) Guilbert Charles le Gendre Marquis de Saint-Aubin sur Loire in opere, cui titulus *Antiquités de la Maison de France*, cap. I. pag. 19. in notis col. 1.

(b) Flodoardus ad hunc annum.

(c) Idem ad hunc annum.

talis fuit, quadraginta duos tantumodo annos, imo forte unum minus agebat, si duodecimum finiente 954. *complevit, viduata autem fuit ineunte anno* 984. *Poterat ergo post annalem viduitatem* (1) *in ætate* 42. *vel* 43. *annorum Comiti Rheinfeldensi nubere, & ex hoc filium suscipere.* Ac largiter quidem hic conceditur, Fridericum demum anno 984. obiisse; quando ipse Calmetus identidem dubitat (a) an hoc, an jamjam præcedenti defunctus sit; imo ratio nulla est, cur anno 984. potius, quam anno 974. aut etiam citius, ut inferius dicemus, objerit. Demus etiam, Beatricem, cum Friderico nupsit, 14. annos egisse (qua in ætate, exemplo minus raro, nuperrime defuncta Regina Hispaniarum nuptum data est) an ideo anno 984. generandæ proli impar erat?

V. Novus, isque facile gravissimus error, quem Anonymus noster hic admiserit, sit, quod *Gerhardum Ducem*, Theodorici Lotharingorum Ducis filium constituat: In hoc enim (ajunt Adversarii) contravenit Genealogus iste Genealogiæ S. Arnulphi, instrumento fundationis Bosonisvillæ, aliisque probatissimæ fidei monumentis Lotharingicis, quæ Gerardum è domo Alsatica (unde Alsaticus dicitur) ortum tradunt. Si

(a) Hist. de Lorr. Tom. II. lib. XVIII. col. 23. edit. nov. & alibi.

(1) Annum viduitatis statuit Illustriss. Scriptor, fortassis non ideo, quia olim jure civil. *Lib.* 1. & 10. *ff.* (quod tamen postea Urbanus III. correxit *cap. fin. X. de sec. nupt.*) mulieribus ante annum luctus, qui decem mensium erat, *Lib. 2. cap. de secund. nupt.* nubentibus infamia inureretur, nisi partum ante enixæ fuissent; siquidem hoc ipsum Beatrici contingere poterat: Sed quod, cum omnes, tum maximé principes fœminas deceat, annum luctus viduum transigere; etiamsi partum ante enixæ sint.

Genealogus Murensis, ubi Gerardum Ducem filium constituit Theodorici ex gente Barrensi oriundi, Gerardum de Alsatia in mente habuisset, adversaretur haud dubie omnibus modo dictis monumentis: at hoc est, quod negamus, jam semel citatum Genderium sequentes, qui ait (a): *Ad evitandam confusionem . . . perquam necesse est distinguere . . . quatuor Gerardos . . . . Duo occurrunt in Genealogia Murensi; unus filius Theodorici* Barrensis, *nepos alter: . . Tertius est Gerardus de Alsatia, pater Gerardi, qui Ducatu Lotharingiæ anno* 1048. *potitus est*: Ut adeo *Gerardus ille ex Genealogia Murensi nihil habeat comune cum domo Alsatiæ:* ac proinde *in Actis Murensibus nihil habeatur contrarium seu veræ Genealogiæ S. Arnulphi, seu fundationi Bosonisvillæ, aliisque tabulis authenticis domus Lotharingicæ, quod tamen Calmeto videbatur.* Quid ad hæc P. Kustenus? In monumentis Calmetianis (inquit) (b) duo tantum Gerardi è domo Alsatica occurrunt: Ergo, quod Anonymus Murensis de aliis duobus e domo Barrensi memorat, falsum est. Qualis argumentatio! Calmetus duos tantum, Gerardos producit ergo fuerunt tantum duo, etsi Anonymus Murensis Auctor Coævus rémque ex instituto tractans, alios ab his fuisse expresse testetur. Sed pudet, pigetque hoc responsum pluribus refellere. Nam quis scriptoris antiquissimi, rem ex instituto tractantis expresso testimonio, paucorum ex multis superstitum, aliena tractantium silentium opponit? apage pseudo-criticen istam.

VI.

(a) Cit. Differt. des Antiquités de la Maison de France, pag. 344. & seq.
(b) Cit. lib. I. cap. III. § V.

VI. Nunc unum adhuc errorem obſervat Adverſarius, de quo hactenus nemo cogitavit. Si verum eſſet (inquit) (a) quod Theodoricus filius Friderici Comitis Barrenſis, Gerardum Ducem, hic Gerardus Gerardum de Egisheim genuerit: *Statuendum foret, Comites Egisheimenſes ex Comitibus Calvimontis* (ut unde Barrenſes ortum trahunt) *deſcendere; id quod quantum in Genealogia Alſatica, Lotharingica, atque Habsburgica confuſionem pareret, nemo melius intelligit, quam qui ſeriem eorundem apud Vignerium, Eccardum, Calmetum, Herrgottum, Schœpflinum vel obiter inſpexerit.* Ergo quoties Adverſarius aliquid ignorat, vel male intelligit, toties Anonymum noſtrum ignorantiæ, aut erroris accuſat. Quæ maleſana veteres ſcriptores tractandi ratio! conſtare putamus ex vetuſtis monumentis, varias olim Eccleſias, utputa S. Gallonis in Helvetia (b) S. Trutperti in Brisgovia (c) S. Gregorii in Alſatia (d) Maſonis itidem in Alſatia (e) S. Stephani apud Argentoratenſes (f) in tractu Egisheimenſi ampla bona poſſediſſe. Scire adhæc debuiſſet P. Ruſtenus ex Munſtero (g) imo ipſomet, quem hic excitat, Cl. Schœpflino (h) oppidum Egisheim tres à tergo montanas ar-

(a) Ibidem § IX.
(b) Herrgott. probat Geneal. Habsburg. num. XI.
(c) Idem num. CCXLVII.
(d) Schœpfflin. Alſatia Illuſtr. pag. 714. § CXCI.
(e) Munſterus in Coſmogr. lib. III. & ex eo Eccard. orig. Habsburg. lib. I. cap. V. col. 25. § VIII.
(f) Idem Eccad. in probat. num. VII. & IX. Herrgottus in probat. num. CLXI. & L. ubi tamen pro *Egisheim* male legitur *Fuheim*.
(g) Cit. lib. III. cap. 131.
(h) Alſatia Illuſtr. pag. 649. § LVIII.

ces habuisse, illustrium olim Comitum mansiones. Nomina eorum Berlerus (a) ex chartis annotat. Maximum appellabatur *Dagesburg*, alterum *Wahlenburg*, tertium *Weckmundt*. Quam facile ergo fieri poterat, ut Gerardus noster aut aliqua ex dictis bonis jure vel permutationis, vel emptionis, vel feudi; aut unum aliquod ex illis Castris jure vel hæreditatis ex matre Egisheimensi, vel dotis ab uxore ex illa gente, vel feudi ab Episcopis Argentoratensibus possideret; atque adeo cognomento de Egisheim vocari posset (cognomento nimirum non à Comitatu, sed, quod veteribus frequens erat, à loco habitationis ducto) quin propterea Comites Egisheimenses à Comitibus Calvi-Montis descendere dicendi sint? accedit, quod, quantumcunque diligentem operam condendæ Genealogiæ Comitum Egisheimensium navaverit Calmetus, hanc tamen ultra seculum XI. seu, quod idem est, ultra Hugonem, qui anno 1098. obiit, producere non possit (b). Adducit is quidem adhuc in seculo XII. Ulricum de Egisheim, sed quo patre natus hic sit, ipse ignorat (c). Ponamus ergo, Ulricum hunc eundem fuisse cum Ulrico, quem Scriptor Murensis filium constituit Gerardi, ut adeo stema Egisheimense in Hugone defecerit: Quidni Gerardus noster, qui Hugoni huic haud dubie multis annis superstes erat, de Egisheim cognominari poterat, cognomento quidem ducto à Comitatu, quocunque demum titulo, an connubiorum cum fi-

(a) In Chron. msc. apud Schoepflin. citata pagina in notis marg. litt. Z.
(b) Origine de la Maison de Lorraine Tom. I. Historiæ Lothar. edit. nov. col. CLXXXVI. & seq.
(c) Ibidem col. CXCVI.

filia vel ſorore ultimi Comitis, an feudi à dictis Epiſcopis Argentoratenſibus obtento? Quidquid ſit, fuerit certe aliquid, qua propter Scriptor noſter Gerardo cognomentum de Egisheim indiderit; utut illud definire nobis non liceat.

VII. Ex hactenus dictis (ni fallor) ad oculum patet, nihil adhuc obſtare, quo minus aſſertum Anonymi noſtri (*Theodricus Dux Lotharingorum, & Chouno Comes de Rinfelden fratres fuerunt : Horum ſoror fuit Ita Comitiſſa de Habſpurg, &c.*) ita acceptemus, ut hanc liberorum triadem ex Beatrice Hugonis magni Franciæ Ducis filia natam dicamus. Nunc ecce, quam mihi ipſe ſero difficultatem. Juxta Actuarium (a) *Radeboto, cum ſibi congruum viſum eſt ut uxorem duceret, accepit de partibus Lotharingorum uxorem nomine Itam, SOROREM THEODRICI DUCIS, AC WERNHARII ARGENTINE CIVITATIS EPISCOPI*, & *dedit illi hunc locum* (Mure) *in dotem; quo cum diu uſa fuiſſet, ... cogitavit*, qualiter hic Monaſterium ædificaret. *Inquiſivit ergo conſilium à FRATRE SUO WERNHARIO EPISCOPO, . . . qui gaviſus in Domino monuit, . . . ut, ſi virum ejus ad hoc inclinaſſent, locum & alia predia, que addere voluiſſet, ad manus alicujus liberi, potentisque viri comendaret : Qui omnia ad altare S. Petri Rome . . contraderet : Atque ad hoc Comitem CHOUNO FRATREM SUUM DE MATRE ELEGERUNT.* En! heic Wernharius *frater* Itæ, Ita *ſoror* Wernharii dicitur: Siquidem vero Wernharius certiſſime frater erat Radebotonis Itæ mariti, quomodo etiam frater Itæ? Do-

(a) Edit. Murenſ. pag. 8. & 9.

Dominicus Tſchudius (a) & poſt ipſum Auctor Vindiciarum (b) vocabula *frater* & *ſoror* minus ſtricte interpretanda putârunt; ita nempe, ut idem adſignificent, quod *Levir* & *Glotis*; eo modo, quo v. g. Bajonus Evam & Giſelam Gerardorum ſenioris & junioris de Alſatia conjuges, Cæſarum Henrici II. & Conradi Salici ſorores vocat (c) quamquam eorundem glotes tantummodo fuerint. *Solveret præterea dubium* (inquit Auctor Vindiciarum) (d) *qui diceret, Kanzelinum*, Radebotonis patrem, *duarum uxorum maritum, ex altera Radebotonem, ex altera vero ſorore quidem vel Friderici, vel Beatricis Itæ parentum, Wernharium ſuſcepiſſe. En hic verum ſanguinis nexum, Wernharium inter & Itam, novumque adeo fraternitatis titulum!* „ Non enim (*inquit cum Abbate* „ *Dominico P. Herrgottus*) (e) eos tantummodo fratres „ (*ſororesque*) apellamus, qui eodem patre, vel eadem „ matre, vel denique, qui utroque parente progeniti, „ ſed etiam fratrum (*& ſororum*) filios, qui proprie pa- „ trueles ſunt „. Sic quidem noſtri: Cum contra ego Wernharium Itæ fratrem, & viciſſim Itam Wernharii ſororem ſtricto in ſenſu dici exiſtimem. Tametſi negari nequeat (quod ipſemet Adverſarius fatetur) vocabula *ſoror* & *frater* varie à veteribus uſurpata fuiſſe: Quia tamen Actuarius hic (ut Adverſarius recte advertit) (f) Itam eadem poſitione Wernharii *ſororem* vocat,

(a) Orig. & Genealog. Comitum de Habsb. edit. 2. pag. 21.
(b) Part. I. cap. XXIV. pag. 170.
(c) Cap. LVI. & cap. XLIV.
(d) Cit. part. & cap. pag. 171.
(e) Lib. VI. cap. I. § IV.
(f) Lib. I. cap. XXIV. § IV.

cat, qua Theodorici, & hoc vocabulum per copulam *ac* ita reſtringit, ut qualem poteſtatem habet reſpectu Theodorici, eandem habeat reſpectu Wernharii: Dicendum plane eſt, vocabula *frater* & *ſoror* hic in ſtricto ſenſu accipi debere: Id quod amplius confirmant ſequentia, quibus Actuarius ait: *Ad hoc* Ita & Wernharius *Chounonem fratrem ſuum de matre elegerunt*: Nemo enim non advertit, to *ſuum* ad utramque perſonam, Wernharium ſcilicet & Itam ſpectare; ut adeo tam Ita, quam Wernharius, & Chuno eadem ex matre geniti ſint. Ergo (inferet aliquis) dicendum eſſet, quod Beatrix tria omnino matrimonia contraxerit: Primum quidem cum Friderico Duce Lotharingiæ, ex quo Itam, alterum cum Comite quodam Rheinfeldenſi, ex quo Chunonem, tertium demum cum Kanzelino Comite Altenburgenſi, ex quo Wernharium ſuſceperit. Quî vero illa, quæ primas nuptias jam anno 954. contraxit, poſt annum 983. vel 984. quo primo marito orbata fuit, adeoque juxta calculum ſuperius à nobismetipſis ductum ſaltem quadraginta & unum annos agebat, duo adhuc ſucceſſive matrimonia contrahere, & ex utroque adhuc filium ſuſcipere poterat? Quin duo adhuc matrimonia contrahere, & ex ſingulis ſingulos adhuc filios procreare potuerit, ne minimum quidem dubium eſt; ſiquidem fieri potuit, ut prior ex poſterioribus hiſce ejus maritis mox primo connubii anno fatis concederet; adeoque Beatrix ſuppoſito etiam integro viduitatis anno inter primum matrimonium cum Friderico, & alterum cum Comite Rheinfeldenſi; cum hic moreretur, non niſi

quadraginta tres annos ageret; ut adeo iterato matrimonio, & generandæ proli nondum impar eſſet. Sed ecce aliam difficultatem. Wernharius anno 1002. certiſſime jam erat Epiſcopus (a): quis vero id ſibi fingit, ſi Beatricis ex tertio matrimonio (quod illa ante annum 985. vel ſubſequentem 986. contrahere nequibat) filius erat? ſane ne ego quidem affirmare velim, juvenem quindecim vel ſexdecim annorum ad hanc eccleſiaſticam dignitatem evectum fuiſſe: ſed quiſquis hæc objicienda putârit, unde probat, Fridericum primum Beatricis maritum demum anno 983. vel 984. fatis conceſſiſſe; ut adeo Beatrix, quæ inter Fridericum & Kanzelinum adhuc alium maritum habuit, Wernharium ad ſummum anno 985. vel 986. in lucem edere potuerit; Calmetus profecto id ne verbo quidem probat: & certe Fridericus in monumentis à celeberrimo ſcriptore editis anno 971. ultimo inter vivos memoratur (b). Quod ſi ergo ratio nulla eſt, cur Fridericus anno 983. vel 984. potius, quam anno 973. vel 974. imo etiam anno 971. obiiſſe dici debeat; & conſequenter nihil quoque obſtet, quo minus Beatrix (poſito etiam, quod poſt primum connubium integrum annum vidua manſerit, & adhuc unum alterumve in ſecundo matrimonio cum Comite Rheinfeldenſi tranſegerit) Wernharium jam anno 974. vel 975. vel 976. genuiſſe dici poſſit: Quid obſtet, quo minus ille anno 1002. in ætate viginti ſex, ſeptem, aut octo annorum Epiſcopus conſtitui potuerit? an quod Epiſcopi tunc tempo-

ris

(a) Ex Gall. Chriſt. T. V. col. 792.

(b) Hiſt. de Lorr. T. I. prob. col. CCXXX.

ris ante annum ætatis trigesimum nec eligi nec ordinari consueverint, id quod Adversarius alio loco (a) ex Thomassino statuit? Atqui huic consuetudini non ita pertinaciter inhæsum fuit, ut, si causa subesset; si quis, ajo, vitæ merito, prudentia in rebus gerendis, requisita ad hunc ordinem scientia, morum maturitate, sanguinis dignitate, Cæsaris favore valeret, non citius promoveretur; maxime si ab anno trigesimo non multum abesset. Exempla sunt obvia.

VIII. Ergo adhuc nihil obstat, quo minus Itam nostram sororem dicamus Theodorici hujus nominis primi Lotharingiæ Medianæ Ducis. Sed obstent, quæ nescio, difficultates: Floruerat utique in Lotharingia adhuc alius Dux Theodoricus, ipsissimi nimirum Theodorici I. & Schonehildis filius (b). Et fortassis chronologiæ melius sese habent, si præ seniori hunc juniorem Itæ fratrem dicamus. Illæ certe non repugnant. Poterat enim nasci Schonehildis anno 960, & in ætate 15. annorum atque adeo anno 975. Kanzelino Comiti de Altenburg, tum jamjam Radebotonis postea Comitis de Habsburg patri nubere, & ex hoc connubio Wernharium, postmodum circa annum scil. 1002. Episcopum Strasburgensem procreare; mortuo deinde primo hoc marito circa annum 979. ad secundas nuptias cum Comite Rheinfeldensi transire, atque ex hoc thoro Chunonem suscipere; demum defuncto etiam hoc marito circa annum 983. in ætate viginti trium annorum cum Theodorico Friderici I. Lotharingiæ Du-

(a) Lib. II. cap. VI. § IX. pag. 299. vid. Thomassini vetus & nova Eccl. disciplina P. I. lib. II. cap. LXIX. & LXX. (b) Vide hoc § num. I. not.

eis filio tum forte 20. annos agente conjungi, & ex hoc connubio præter Theodoricum, qui poſtea Fridericum II. genuit, etiam Itam procreare, quæ deinde anno plus minus 1000. in ætate ſedecim vel ſeptemdecim annorum Radebotoni circiter viginti ſex aut ſeptem annos nato in matrimonium collocari poterat, & usque ad annum 1030. procreandis liberis par eſſe. Jam adverto equidem, quid excogitaturus ſit Adverſarius, quo Itam neque hujus Theodorici ſororem eſſe potuiſſe perſuadeat; nempe quod in hac Hypotheſi Theodoricum illorum patrem anno 983. vel 984. minimum viginti annos egiſſe dicendum foret, id quod Bayono adverſetur, qui Theodoricum hunc, cum Fridericus ejus pater moreretur, atque adeo ipſo anno 983. vel 984. adhuc *minorem annis* fuiſſe ſcribit; ita ut Beatrix ejus mater *Ducatum regeret* (a). Sed ad hanc difficultatem jamjam reſpondimus, ubi diximus, nullam ſubeſſe cauſam, cur Fridericum potius anno 983. vel 984. quam an. 973. vel 974. obiiſſe teneamus. Eſto igitur, quod Theodoricus, cum Fridericus pater moreretur, adhuc minorennis fuerit; poterat is tamen anno 983. vel 984. jamjam viginti annos agere, quia certum non eſt, quo anno Fridericus objerit, & hic fortaſſis decem annis ante obiit. Sed mortuus ſit Fridericus dicto demum anno 983. vel 984. poterat utique Theodoricus filius tum equidem jam majorennis eſſe, ſed à matre fœmina potenti (quippe Hugonis Capeti ſorore) & regnandi perquam avida (quippe quam Theodoricus tandem vi è regimine deturbare debuit) ab adminiſtran-

(a) Lib. II. cap. LXIII. & XLVI.

ſtrando Ducatu prohiberi ſub prætextu ætatis non quidem abſolute, ſed reſpective ad turbulenta illa Lotharingiæ tempora regnando imparis. Alterutrum certe dicendum eſt: Vel quod Fridericus jamjam circa annum 973. aut 974. objerit, vel quod Theodoricus filius, ſi pater demum an. 983. aut 984. obiit, tunc jam maturior fuerit. Rationem alterutrum affirmandi duco ex epiſtola Adalberonis Archi-Epiſcopi Rhemenſis data anno 986., in qua hic Præſul apud Theophaniam Imperatricem vehementer queritur, quod Theodoricus jamjam Satanacum occupârit, jamjamque Juviniaco im̃ineat, & quas neſcio alias violentias Epiſcopatui Virdunenſi, ad quem alias hæc loca ſpectabant, inferat (a): Nam hæc à puero perfecta fuiſſe nemo prudens crediderit: Ergo aut Fridericus dudum ante annum 983. vel 984. mortuus eſt, ſi, cum moreretur, Theodoricus adhuc puer erat; aut fallit & fallitur Bayonus, qui hunc puerum fuiſſe ſcribit, cum Fridericus moreretur, hic autem demum anno 983. vel 984. mortuus eſt. Quidquid ſit, certe Theodoricus anno 984. jam majorennis erat. Sed obſtent & huic hypotheſi neſcio quantæ difficultates: Occurrunt utique circa ItÆ tempora alii adhuc & alii Theodorici *ex partibus Lotharingorum* (ut Actuarius noſter loquitur) oriundi; nunc Duces, nunc Comites dicti, ex veterum ſcilicet ſcriptorum ſtylo, qui obſervante Baluzio (b) aliiſque, quos & P. Herrgottus (c) ſequitur,

 hos

(a) Vid. Calm. Hiſt. de Lorr. Tom. II. lib. XVIII. pag. 33. edit. nov.

(b) In notis ad Lupi Ferr. ep. CXXII. ed. Antw. pag. 457.

(c) Geneal. Dipl. lib. I. cap. XI. § VI.

hos titulos Magnatibus promiſcue indiderunt. Ponamus igitur, Itam neutrius Theodorici Barrenſis ſororem fuiſſe; quid tum? Ergo non erat ex hac gente oriunda: At ideo falſum non eſt, quod ſoror fuerit Theodorici, quacunque demum ex ſtirpe ſati: Neque enim recte infertur, rem nullo modo eſſe, quia hoc, illo modo non eſt. Multo minus ullum hic pondus habet argumentum mere negativum. Si enim teſtimonium rem ex profeſſo tractantis plus valet ſilentio tractantis aliena, etiam in re gravi (id quod apud omnes in confeſſo eſt) quanto magis in re levi? Adde, quod juxta ſuperius dicta ſcriptorum non tam ſilentium, quam penuria obiici queat. Et quidni Actuarius Murenſis eo ipſo optimus ſit harum rerum teſtis, quia ſolus? Ille certe nihil confinxerit: Sed neque indiligens fuerit in quærendo, neque infelix in inveniendo, qui Itæ ſtem̃a & ex profeſſo, & eo in loco ſcripſit, ubi illud, ſi ullibi notum, certe notiſſimum erat.

§ II.

I. AB Ita Radebotonis Habsburgi Comitis conjuge, ejusque ſtem̃ate deſcendimus jam ad eorundem Radebotonis & Itæ filiam Richenzam hujuſque prolem, quam Anonymus noſter ſic deſcribit: *Richenza de Lenzburg genuit Arnoldum, Chouno Comitem, Wernherum de Baden,* & Ruodolfum. *Ruodolfus genuit Humbertum, Uodalricum, Arnoldum, Ruodolfum & ſorores eorum.*

rum. Arnoldus etiam de Baden, filius Richenzæ de Lenzburg, genuit Richenzam de Chiburg. Hucusque Genealogus Murensis, cujus narrationem P. Herrgottus his fere verbis impugnat (a) *Quod de filiis Richenzæ Lenzburgensis adnotavit* Genealogus, *utcunque illud chartis nostris correspondeat, si Chunonem & Wernherum ex Comite Badensi, forte Oldarico*, qui circa annum 1130. vixit, *Rudolfum vero, & Arnoldum ex Comite Uldarico de Lenzburg*, qui circa annum 1036. in vivis agebat, *progenitos dicamus; Genealogia tamen ista incompleta manet; Chronologia item male se habet. Quin & falsum est, Arnoldum patrem Richenzæ de Chiburg, Comitem de Baden fuisse.*

II. Antequam ad singula hæc objecta respondeamus, reddere debemus excerptum quoddam ex charta Ulrici divitis Comitis de Lenzburg pro inclita Ecclesia nobilium Canonicorum Beronæ, data seculi undecimi anno trigesimo sexto; quippe qua attentius expensa facile pleraque objecta concidunt. „ Ego Ulricus Dei „ gratia Comes (verba sunt dictæ chartæ) ad reprimendas lites futuras. Cum omne patrimonium „ meum non in filios (quoniam his orbatus sum) „ sed in nepotes meos sit transiturum, sæpe & diu me- „ cum cogitavi de quadam Canonica mea, quæ est in

„ lo-

(a) Proleg. III. § XIII.

„ loco, qui dicitur Beronis Monaſterium (1) à paren-
„ tibus meis primitus, poſtmodum à me S. Michaëlis
„ honori attributum, qualiter poſt obitum meum ea-
„ dem Canonica liberaliter Deo ſervire valeat ....
„ Nolui eandem Canonicam nepotibus meis in comu-
„ ne dimittere, ne, quod ſoli Deo bene eſt coaduna-
„ tum

(1) Si *Canonica*, quomodo *Monaſterium*? Hic lapis offenſionis multis fuit. Sunt, qui Eccleſiam hanc primitus a Canonicis, qui hodie ſub nomine *Regularium* veniunt, eademque cum Monachis vota emittunt, occupatam volunt. Sed hi certo falluntur: cum hujusmodi Canonici ſeculo demum XI. aut ad ſummum X. pullulârint; Eccleſia autem Beronenſis diu antea fundata ſit. Alii hanc Monachis addicunt; ſed abſque ſufficienti fundamento. Nemo enim ignorat, quod Chrodegangus Epiſcopus Metenſis ſub medium ſeculum VIII. Regulam pro Canonicis ſcripſerit, quæ quamquam maximam partem ex Benedictina educta ſit; exemplo tamen fuit prolixæ illi Canonicorum Regulæ, quam anno poſt octingenteſimum decimo ſexto vel ſeptimo Amalericus juſſu Ludovici Pii ex Ss. Gregorii, Auguſtini, Hieronymi &c. ſententiis conflavit, & Conſilium Aquiſgranenſe ejuſdem Cæſaris inſtinctu ipſiſſimæ hujus rei cauſa coactum confirmavit & auxit. Ab his temporibus, utputa a medio ſec. VIII. cathedrales & collegiatæ Eccleſiæ in Monaſteria mutatæ ſunt; ut ubi Canonici in communi & a ſeculo remoti vivebant. Hinc eſt, quod illorum Comunitates admodum frequenter *Monaſteria* & *Cænobia*, illi vero *Cænobitæ* & *fratres* appellentur; ipſaque etiam dicta ſynodus eis eorumque domibus hæc nomina imponat. At (dicet aliquis) Eccleſia Beronenſis jam ante tempora hujus Conſilii, imo ante Chrodegangum extitit. Verum ego non ſine Cauſa vereor, ut hæc opinio fallat. In antiquiſſimo Monaſterii Einſidlenſis libro, qui *vita* dicitur, legimus: *Bero Fundator Münſtere dedit noſtro cænobio Wittenheim*: conſtat autem Monaſterium Einſidlenſe demum poſt annum 863. fundatum fuiſſe: Ergo Bero hic non jam ſeculo VIII. ſed demum poſt medium ſec. IX. vixit. Ex hoc dyptichorum Einſidlenſium verſu, ſi cum alio, qui in veteri calendario Beronenſi extat, & memoriam ingerit Caroli Imperatoris, qui XII. Jan. obierit, atque adeo Carolus craſſus eſt, ut cui hæc ipſa dies fatalis fuit, conferatur, definiri etiam poſſe videtur ipſiſſimum tempus, quo Bero vixit, ac proinde Beronenſis Eccleſia conſtituta fuit: nempe nec multum ante A. 863; ſiquidem alias Bero Monaſterio Einſid. nihil conferre potuiſſet, nec multum poſt illum añum; quia alias in dicto calendario nulla extaret Caroli craſſi memoria; ut qui jam A. 888. deceſſit: ergo ſub ipſum medium ſec. IX. Puto igitur (ut ad priora redeam) quod Eccleſia Beronenſis, ut hodie, ita quoque primitus a Canonicis, quos hodie ſeculares vocamus, occupata fuerit.

„ tum, prava voluntate hominum male divideretur.
„ Tandem inveni consilium, ut eligerem unum de ne-
„ potibus meis, cui supradictum locum traderem sub
„ quadam conditione, quam in sequentibus indicabo.
„ Tradidi enim supradictum locum, id est, Beronis
„ Monasterium cum omnibus ad illud pertinentibus
„ prædiis & mancipiis nepoti meo Arnolpho ea pacti-
„ one, ut ego habeam eundem locum in dies vitæ
„ meæ, & filius meus Heinricus habeat præfatum lo-
„ cum, quamdiu in hoc seculo vivat, & post ejus deces-
„ sum præfatus Arnolphus firmiter teneat, . . . & post
„ obitum illius unus de legitimis hæredibus ejus, qui sit
„ major ætate, ... ut sit justus & pius advocatus,
„ atque defensor ejusdem Ecclesiæ &c. Præter hæc in
„ Anniversariis quibusdam, id est in die obitus mei, &
„ filii mei Conradi Episcopi, & filii mei Henrici, pau-
„ peres, & Canonicos ejusdem loci charitative reficiat
„ &c. „. Hæc ex charta Ulrici divitis Comitis de Lenzburg (a). Ex quibus infero 1mo. Ulrici filios anno 1036, quo charta hæc data fuit, jamjam ad plures abiisse; siquidem pater id diserte testetur, dicens: *Cum patrimonium meum non in filios (QUONIAM HIS ORBATUS SUM) sit transiturum.* Infero 2do. quod uterque Ulrici filius sine prole decesserit; uti id denuo testatum facit Ulricus pater dicens: *Cum patrimonium meum non in filios, sed in NEPOTES meos sit transiturum, sæpe & diu cogitavi de quadam* Canonica *mea &c.* Per nepotes heic certissime filios fratris intelligit: Si enim

T pro-

(a) Chartam hanc edidit Ægidius Tschudius in Chron. lib. I. ap. Iselium pag. 13. & P. Herrgottus Tom. II. n. CLXXIII. pag. 112.

proprii filii posteros reliquissent, ipseque adeo hæredes, quos *suos & necessarios* vocant, habuisset, cur de orbitate filiorum questus, cur anxius fuisset, sæpeque diuque cogitâsset, quid de bonis suis ageret? His, quemadmodum vera sunt, suppositis, quæstio jam emergit, cuinam ex Comitibus de Lenzburg Richenza nostra juncta fuerit, an nimirum Ulrico, an patri ejus, an demum filio, an nepoti? Certe non patri, nedum propter ingentem temporum differentiam (qui enim illa, cujus frater Wernharius anno 1096. obiit, ejus, qui anno 1036., atque adeo sexaginta ante annis decrepitam ætatem agebat, mater esse poterat?) sed quia inter filios Richenzæ nullus occurrit, nomine Ulrici insignis. Multo adhuc minus ipsemet Ulricus (quod P. Herrgotto, & Rusteno visum) Richenzæ maritus erat. Cum enim filii Richenzæ, & quidem ex thoro Lenzburgensi suscepti (testante Actuario nostro) (a) anno 1085. cum avunculo suo Wernhario Habsburgico bellum gererent; qua amabo ratione Richenza Ulrici uxor esse poterat, Ulrici nimirum illius, cujus filii omnes anno 1036. jamjam fatis concesserant, fatentibus vel ipsis Adversariis? Tandem dici non potest, quod Richenza alicui ex filiis Ulrici nupta fuerit; siquidem ambo illi nulla relicta prole obierint; quales tamen Richenzæ fuisse, locus mox excitatus manifeste evincit. Dicendum ergo, quod Richenza cuidam Ulrici ex fra-

tre

(a) Pag. 25. edit. Mur.

tre Arnoldo de Baden (1) nepoti, quocunque dein nomine is venerit (Arnolphum, qui in ſæpe citata charta Beronenſi de anno 1036. nominatur, fuiſſe credamus) connubio juncta fuerit: Unde eſt, quod ſcriptor noſter quosdam ex ejus filiis *de Baden*, quosdam *de Lenzburg* cognominet, quia nimirum illorum patri uterque comitatus, Badenſis ſcilicet & Lenzburgenſis obtigit; ille quidem à patre ſuo Arnoldo, hic ab Ulrico patruo.

III. Ex hactenus dictis liquet, quid reſpondendum ſit ad cætera, quæ Adverſarii ſcriptorem noſtrum exagitandi cauſa hic in medium proferunt. Dicendum nempe, quod, quæ P. Herrgottus vario cognomine, quod ſcriptor noſter Richenzæ filiis addit, deceptus, de duplici ejus connubio ſtatuit, merum eſſe comentum; ſiquidem illa uni tantum, ſed cui uterque Comitatus parebat, nupſerit; uti viri doctiſſimi Franciſcus Guillimannus (a) Ægidius Tſchudius (b) aliique jam olim obſervârunt. Ejusdem roboris eſt, quod porrò objectant Adverſarii: Nimirum, prolem Richenzæ incompletam eſſe. Eſſet illa haud dubie talis, ſi Richenza Ulricum divitem (quod Adverſariis viſum) maritum habuiſſet: at hoc falſum eſſe, patet ex dictis. Chronologiam

 quod

(a) Habsburg. lib. V. cap. I. pag. 154.
(b) Chron. Helvet. part. I. lib. I. pag. 20. col. 1.

(1) Fraternitas hæc probatur ex charta quadam collegii perilluſtrium Canoniſſarum in Schönis, quæ charta nupero Seculo (uti ad me inde perſcriptum eſt) cum multis aliis flebili incendio equidem abſumpta, antea tamen ſolertiſſimo rerum Helveticarum Scriptori Ægidio Tſchudio viſa adhuc & lecta fuit. Hæc autem Arnoldum hunc expreſſe *fratrem* conſtituit Ulrici Divitis. Tſchudius in lib. de armis Gentil. Nobil. Famil. Helvet. Mſc. Biblioth. Murenſium pag. 73.

quod ſpectat, etiam illa male utique ſe haberet, ſi Richenza primis nuptiis Udalrico Badenſi, qui an. 1130. vixit, ſecundis autem modo dicto Ulrico Lenzburgenſi, qui integro ante ſeculo decrepitam jam ætatem agebat, juncta fuiſſet: Sed bene eſt, quod id ſcriptori noſtro neque inciderit, neque imputari poſſit. Nunc adhuc alium anachronyſmum „ & hunc *horribilem* objectat Cl. Ruſtenus.

IV. Juxta ſcriptorem noſtrum genuit Richenza Arnoldum, Chunonem Wernherum, Rudolphum: atqui teſtantibus chartis P. Herrgotti hi omnes vitam ad medium circiter ſeculum XII. produxerunt: Quomodo ergo Richenza, quæ circa medium ſeculum XI. vel etiam ante nupſiſſe ſupponitur, eorum mater eſſe poterat? ſic Adverſarius (a) immemor utique ipſe ſui. Si enim incredibile eſt, quod inter matris nuptias filiorumque mortem quaſi ſeculum intercedat, qua fronte hoc ipſo capite, ubi (ſi, quod ipſe prætendit, Richenza, cujus frater Wernharius demum finiente anno 1096. obiit, Udalrico diviti anno 1036. adeoque totis ſexaginta annis ante obitum Wernharii, Arnulphi jamjam adulti, quippe qui hoc anno jamjam Eccleſiæ Beronenſi Advocatus datus eſt, ex filio, ut itidem prætendit, nepotis avo nupſiſſet) ubi, inquam jam non inter matris filiorumque, ſed ſororis fratrisque mortem, ad minimum integrum ſeculum interceſſiſſe dicendum eſſet, non ſolum nullum Anachronyſmum (quod tamen Auctori Vindiciarum videbatur) ſed *magnam* etiam temporum *congruentiam* reperiri contendit (b)? aut ſi tanta hic

(a) Lib. I. cap. XV. § VI. & VIII. (b) Ibidem § VI.

hic congruentia, cur ibi tam horribilis Anachronyſmus? Sed hæc prævie, neque eo animo dicta ſunto, ac ſi ſcriptorem noſtrum Anachronyſmi reum non agnoſceremus, ſi Arnoldus, Chuno, Wernherus, Rudolphus, qui in chartis P. Herrgotti circa medium ſeculum XII. adhuc recurrunt, iidem cum illis eſſent; quos ſcriptor noſter Richenzæ filios conſtituit: at hoc ipſum eſt, quod negamus, advertentes, quod ab ævo Richenzæ usque ad medium ſeculum XII. in gente Lenzburgo-Badenſi plures & Arnoldi, & Chunones, & Wernherij, & Rudolphi floruerint, & quod Arnoldus, Chuno, Wernherus, & Rudolphus, qui poſt annum 1127. occurrunt, illius nepotes tantum, non filii fuerint. Rem ita ſe habere, vel ex ſola P. Herrgotti charta dicto anno pro Eccleſia in Schönis data (a) ſi hanc cum Genealogia Murenſi conferre voluiſſet, *olfacere potuiſſet* (ſua ei reddo) *ſi naſum habuiſſet P. Ruſtenus.* Comparet in ea *Arnoldus* favente uxore ſua Hema, & quatuor filiis *Ulrico*, *Arnolpho*, *Wernhero*, *Chunone*, ſubque teſtimonio filiorum fratris ſui *Rudolphi*, *Udalrici*, *&* *Arnolphi* Eccleſiam in Schönis prædio in *Urane* ſito donans, & ſtatuens, *ut*, *quicunque ex filiis ſuis ex ſua parte Advocatus ejus Eccleſiæ extiterit*, *pro filiis fratris ſui defenſor præfati loci exiſtat.* Ubi vides non unum tantummodo, ſed tres omnino Arnoldos nominari, patrem ſcilicet, filium & nepotem ex fratre. Primi ac tertii meminit etiam Genealogia Murenſis, quæ ita habet: *Richenza genuit ARNOLDUM*, *Chounonem*, *Wernherum*, Rudolphum. *Arnoldus genuit Richenzam de Chiburg:*

(a) Extat illa in cod. prob. num. CCIX. pag. 152.

burg: *Ruodolfus genuit Hunbertum, Uodalricum, ARNOLDUM, Ruodolfum, & forores eorum.* De pluribus Rudolphis res non minus certa eft, nedum quia Genealogia Murenfis, ut modo audivimus, expreffe duos nominat, alterum quidem alterius filium; fed quia Rudolphus in citata charta anni 1127. recurrens, advertente ipfomet P. Herrgotto (a), ibidem fatis aperte jamjam inter mortuos numeratur (fiquidem Arnoldus ejus frater filios fuos *pro filiis fratris fui Rudolphi* Ecclefiæ Schannienfis Defenfores inftituere neceffe habuit) cum tamen *Ruodolfus* aliquis de *Lenzburg* in ejusdem P. Herrgotti chartis adhuc poft medium feculum XII. recurrat (b). Nec eft, cur de pluribus Wernheris, & Chunonibus dubitemus; quandoquidem Wernherus, & Chuno, quos Genealogia Murenfis filios Richenzæ, fratres Arnoldi, & Rudolphi conftituit, utique alii fuerint ab iis, quos præfens charta filios Hemæ, fratres autem Arnoldi & Ulrici facit. En igitur (quod primo loco probandum erat) in gente Lenzburgo-Badenfi inde ab ævo Richenzæ usque ad medium fec. XII. plures & Arnoldos, & Rudolphos, & Chunones, & Wernheros, feniores fcilicet, & juniores. Nunc oftendere habemus, quod, qui poft annum præter propter 1127. recurrunt, nepotes Richenzæ fuerint, non filii. Juxta Genealogum Murenfem Richenza Comiti de Baden & Lenzburg nupta quatuor genuit filios, Arnoldum & Wernherum, quibus Comitatus Badenfis, Rudolphum & Chunonem, quibus Comitatus Lenzburgenfis obtigit. Wernherum & Chunonem improles obiiffe, nemo eft, qui

(a) Lib. VI. cap. II. § IV. (b) Herrgott. ibidem.

qui dubitet: Sed Arnoldus & Rudolphus ſtema propagârunt; ille quidem Badenſe, hic Lenzburgenſe. Ex filiis Arnoldi primogenitus Odalricus anno 1130. jamjam ut Comitatus Badenſis Dominus occurrit in litteris Fundationis Parthenonis Vahrenſis (a), ut ubi legimus: *Hæc omnia . . . peracta ſunt in ipſo loco Vare, in præſentia Odalrici Comitis de Baden, in cujus Comitatu idem locus ſitus eſt.* Unde ſequitur, patrem ejus hoc anno jam obiiſſe; ſiquidem Comitatus Badenſis; qui prius patrem Dominum agnoſcebat, hoc anno filio pareret. Rudolphum alium Richenzæ filium anno 1127. mortuum jam fuiſſe, juxta ſuperius dicta ipſemet P. Herrgottus nos docet, cauſam interſerens, quod ſi Rudolphus hoc anno adhuc in vivis egiſſet, opus non fuiſſet, ut *Arnoldus frater Rudolphi, de quo nobis hic ſermo eſt, filios ſuos inſtitueret defenſores filiorum fratris ſui.* Quandonam tandem Chuno, & Wernherus reliqui Richenzæ filii defecerint, non ita liquet; ſed ex reliquorum morte mortem iſtorum facile quis æſtimet. Ergo Arnoldus, Rudolphus, Chuno, Wernherus, qui circa & adhuc poſt medium ſec. XII. occurrunt, iſtorum nominum nepotes Richenzæ fuerunt, non filii. Saltem numquam oſtenderit Adverſarius, quod hæc nomina, ubi poſt an. 1127. recurrunt, filiorum potius ſint, quam nepotum. Undenam ergo *horribilem* illum anachronyſmum (de quo ſupra) nos edocebit? atque hæc de poſteris Richenzæ, partim Badenſis, partim Lenzburgenſis Comitatuum Dominis, quos omnes hoc ſchemate exhibemus; adjectis notis annorum, quibus ſinguli ultimo inter vivos comparent. N.

(a) Apud eund. Herrgott. cod. prob. num. CCX.

N. Comes de Lenzb. & Baden.

- Ulricus dives Com. de Lenzb. ch. a. 1045. (a).
  - Henricus ch. a. 1036. (c) † s. l.
  - Conradus Episc. ch. a. 1036. (d). † s. l.
- Arnoldus Com. de Baden. monum. Schanensia, (b).
  - Arnoldus ch. a. 1050. (e)
    - Arnoldus Com. de Baden. ch. a. 1127. (g).
      - Ulricus Com. de Baden ch. a. 1130. (i) † s. l.
      - Arnoldus Com. de Baden. ch. a. 1127. (k) † s. l.
      - Wernherus Com. de Baden. ch. a. 1155. (l) † s. l.
      - Chuno Com. de Baden. ch. a. 1155. (m) † s. l.
      - RICHENZA nata Com. de Baden, uxor N. Comitis de Kiburg, act. Murens.
    - Wernherus Com. de Baden. † s. l. act. Murens.
    - Chuno Com. de Lenzb. † s. l. Act. Murens.
    - Rudolphus Com. de Lenzb. ch. a. 11.5. (h)
      - Hunbertus Com. de Lenz. ch. a. 1155. (n) † s. l.
      - Udalricus Com. de Lenz. ch. a. 1170. (o) † s. l.
      - Arnoldus Com. de Lenzb. ch. a. 1143. (p) † s. l.
      - Rudolphus Com. de Lenzb. ch. a. 1158. (q) † s. l.
      - Filiæ aliquot † s. l. Act. Murens.
  - Richenza uxor. Act. Murens.
  - Ulricus. Bertholdus Const. ad an. 1077. (f)

(a) Herrgott. cod. prob. num. CLXXVI. (b) Apud Ægid. Tschudi. cit. lib. de armis gentil. nob. famil. Helv. Msc. pag. 73. Arnoldi hujus mentio quoque fit in Chartis P. Herrgotti num. CCLX. CCLXXVI. (c) Herrgott. cod. prob. n. CLXXIII. (d) Ibidem. (e) CLXXXI. (f) Apud Urstisium rerum Germ. T. I. pag. 347. Ulricum hunc Rustenus eundem esse contendit in calce pag. 149. & pag. 157. § XVIII. cum Ulrico divite patre Henrici & Conradi: sed obstat temporum ratio; siquidem Ulricus ille, qui A. 1036. decrepitam jam ætatem agebat, an. 1077. adeoque totos adhuc quadraginta & unum annos superesse nequierit. Erat ergo Ulricus noster alius ab Ulrico divite: atqui non hujus filius; quia is juxta dicta solos Henricum & Conradum procreavit, imo filii ejus omnes A. 1036 fatis jam concesserant; neque nepos ex filiis; quippe quod isti improles obierint: ergo nepos ex fratre. (g) Herrgott. cod. prob. n. CCIX. (h) Idem n. CXCIX. & seqq. quinque. (i) Idem num. CCX. (k) Idem cit. n. CCIX. (l) Idem n. CCXXXI. (m) Idem ibid. (n) Charta Friderici I. pro Ecclesia Cathedr. Constant. ap. Auctores Gall. christianæ t. V. in app. col. 519. (o) Herrgott. cod. prob. n. CCXL. (p) Idem n. CCXXIII. (q) Idem n. 231.

Richenzam filiam Arnoldi fenioris Comitis Badenfis, filii Richenzæ, utriusque Comitatus Badenfis fcilicet & Lenzburgenfis Domino nuptæ, litteris majoribus expreffimus; quod fratribus fuis, & patruelibus ex hac vita fine prole fublatis, utrumque hunc Comitatum ad Kyburgios, ut quorum uni nupta fuerat, transtulerit. At ecce denuo fetam in ovo.

V. *Falfum* enim *eft* (inquiunt Adverfarii) (a) *Arnoldum Patrem Richenzæ de Kiburg, Comitem de Baden fuiffe.* Quare falfum? Richenza, refpondet uterque, Ulrici Comitis de Kiburg uxor fub initium feculi tertii decimi vixit: atqui familia Badenfis teftante charta anni 1107. circa illud tempus jamjam extincta deceffit. Ergone, quod familia Badenfis circa, imo multo ante initium feculi XIII. defecit, Arnoldus filius Richenzæ Lenzburgicæ, qui inter medium, finemque feculi XI. jam floruit, Comes de Baden effe nequibat? Si ratio hæc quidquam ponderis haberet, cur frontem caperarent Adverfarii, fi quis diceret: anno 1740. per mortem Caroli VI. Imperatoris extinctum eft ftemma Habsburgicum: ergo Carolus V. itidem Imperator, qui anno 1558. obiit, non erat ex gente Habsburgica oriundus? *At haud obfcure ex verbis P. Herrgotti colligimus* (inquit Vindex nofter) (b) *quod hic non modo falfum velit, Arnoldum patrem Richenzæ de Kiburg, Comitem de Baden fuiffe; fed ipfum, de quo hic agimus, Arnoldum filium Richenzæ Lenzburgicæ, patrem Richenzæ Kiburgicæ omnino negare, aliumque pro eo in hoc pa-*

U *ter-*

(a) P. Herrgottus prol. III. § XIII. P. Ruftenus lib. I. cap. XV. § X. & feqq.
(b) Part. I. cap. XIII. pag. 104.

ternitatis jus sufficere intendat. Cum enim Richenzam Kiburgicam tempore prænotato *vixisse teneat, hujus patrem profecto haud queat agnoscere Arnoldum nostrum; quippe, qui Richenza Lenzburgica* seculo XI. *progenitus, filiam utique habere non poterat, in Seculum XIII. superstitem.* Sed unde quæso? Cl. Pater adstruat, ea ætate vixisse Richenzam Kiburgicam? Vixerat, inquit, ea ætate Ulricus de Kiburg, adeoque & uxor Richenza. Absque dubio, si hæc Ulrici illius uxor: Sed hoc ipsum connubium unde probatur? Stumpfius (inquit) (a) Münsterus, Simlerus id adstruunt, *quorum opinionem Cl. quoque Iselius adoptavit.* Audax assertum; scimus equidem, quod Stumpfius Ulricum quemdam Richenzæ maritum constituat: Quandoquidem is autem duos agnoscat Ulricos (b) avum scilicet & nepotem, quorum ille circa initium seculi XII. hic (qui ipsissimus ille est, de quo P. Herrgottus) ineunte XIII. vixerit: Porro Richenzam nostram (equidem ex fide Anonymi Murensis) filiam statuat Arnoldi de Baden hominis seculi XI. finientis, & XII. ordientis, quia filii Richenzæ de Lenzburg, quæ seculo XI. floruit; quis non quasi manibus palpat, quod Ulricum suum seniorem in mente habuerit, cum Richenzæ nostræ quemdam hujus nominis Kiburgi Comitem maritum tribuit? Münsterum legi, & plus simplici vice relegi librum & caput & paginam, quam Adversarii nobis hic obtrudunt (c), sed inani semper conatu; quippe quod scriptor iste Richenzæ maritum neque

(a) Cit. lib. & cap. § XII.

(b) Vid. lib. V. cap. 30.

(c) Citant autem lib. III. cap. 93. pag. 564.

que ibi, neque alibi prodat. Tradit ille equidem alicubi (a), Comitatum Badenſem ad Kiburgios deveniſſe: Sed de marito Richenzæ altum ibi ſilentium. Cl. Iſelium quod attinet, rem bonam facturus fuerat Adverſarius, ſi nobis indicâſſet, quo in opere, quo in loco is Herrgotti ſententiam teneat. Chronicon Tſchudianum, quod ipſe edidit, ſane fruſtra evolvas. Ubinam oculos habuerit Ruſtenus, quum Cl. viri Lexicon hiſtoricum inter ejus manus verſaretur, prorſus ignoro. Cum enim ibi (b) diſerte dicatur, Comitatus Badenſem & Lenzburgenſem jam tempore Hartmanni, illius nimirum, qui juxta P. Herrgottum anno 1155. vixit, ad Kiburgios jure hæreditatis tranſlatos fuiſſe; hoc vero jus hæreditatis à connubio Richenzæ proveniat: quid aliud ibi innuitur, quam quod Richenza vel ipſi huic Hartmanno, vel ejus parenti (adeoque non demum nepoti, qualis Ulricus erat) nupta fuerit? Næ igitur iſti rerum Helveticarum ſcriptores Adverſariis noſtris non tantum non adſtipulantur, verum etiam contradicunt. Sed quid ſi adſtipularentur?

Planè, nihil ageres: novimus enim (& quis ignorat?) quam nulla ſit recentiorum antiqua tractantium auctoritas, cum (quod hîc fit) nulla illis vetera monumenta ſuffragantur. Meminimus, nuper, cum de ſtemmate Itæ diſputaremus, Actuario Murenſi, etſi ſuppari, ex ſolo aliorum ſilentio contradictum eſſe: quanto igitur magis illis ſcriptoribus fidem abnegare debebit P. Ruſtenus, qui non ſolum nullum ab ætate

(a) Coſmogr. lib. V. cap. LXXXVI.
(b) Artic. *Kyburg.*

præſidium habent, ſed à coævo etiam ſcriptore impugnantur? Uti quidem ſcriptores iſti ab Anonymo noſtro, homine ſeculi XII., quod ipſum Richenza de Kiburg vixit, impugnantur; ſiquidem impoſſibile eſt, ut filia Arnoldi de Baden, qui inclinato ſeculo XI. floruit, Ulrico homini ſeculi XIII. in matrimonium daretur. Sed (exclamat Adverſarius) (a) num ſcriptores *illi cæci, aut luſci fuerunt, ſolo vidente* Genealogo Murenſi? Hunc impetum profectò non exſpectâſſem ab eo, qui alias nihil acceptare vult, niſi quod Libitina ſacravit, aut plus quam diphtera canum eſt. Quæro autem viciſſim, num Scriptor Murenſis ita lippus, imò cæcus fuerit, ut è propinquo non videret; quod iſti in tanta diſtantia vidiſſe finguntur? Finguntur ajo; ſemper enim idem redit; falſum nimirum eſſe, quod vel unicus illorum Richenzam noſtram Ulrico illi, quem Adverſarii ſtatuunt, nuptam contendat; uti id perbene agnovit ipſemet P. Herrgottus, qui propterea tantum quoad hoc; quod Comitatus Badenſis & Lenzburgenſis, deficientibus propriis Comitibus, Kiburgiis ceſſerint, ad citatos ſcriptores provocat; illud autem, quod Richenza potius Ulrico, quam alteri cuidam Kiburgi Comiti nupta fuerit, alio (quamquam non minus infirmo) argumento probare conatur. En ipſiſſima ejus verba. *Non deſunt*, (inquit) (b) *rerum Helveticarum ſcriptores, qui tradunt, extincta Badenſi familia Lenzburgica obveniſſe hunc Comitatum; cui itidem deficienti ſub finem Seculi XII. Kiburgica ſucceſſit jure connubiorum Richenzæ filiæ Arnolphi, patrui ultimi Comitis de Lenzburg cum Hartmanno, vel potius*

(a) Loco citato. (b) Lib. I. cap. VII. § III.

nus Ulrico (TEMPORA ENIM ALIAS NON CONGRUERENT) Comite de Kiburg. Ergo temporum congruentia pro ratione erat P. Herrgotto, cur Richenzam Ulrico potius, quam Hartmanno conjungeret: Sed quorum temporum? an illius, quo Kiburgii in Comitatus Badenſem, & Lenzburgenſem ſucceſſerunt, cum eo, quod Ulricus vixit? at Kiburgii hanc hæreditatem adiiſſe poterant, etiamſi Richenza dudum antea ad plures abiiſſet. An temporis ſive ætatis Richenzæ, cum tempore ſive ætate Ulrici? at ego hic non tantum nullam reperio congruentiam, ſed magnam etiam repugnantiam. Si enim Richenza filia fuit Arnoldi (ut ipſemet P. Herrgottus ex ſcriptorum Helveticorum ſententia tenet) illius inquam Arnoldi, qui teſtante charta P. Herrgotti, anno 1127. jamjam cum filiis adultis comparet, quomodo uxor eſſe poterat Ulrici Comitis de Kiburg, qui demum in chartis annorum 1218. 1223. 1227. & 1229. occurrit? Nullo prorſus modo, inquit P. Ruſtenus (a); *ſed hoc ipſum mendis Genealogi tribuendum: Invertamus ergo ſtilum, dicamusque è contrario: Si Richenza in Hypotheſi Genealogi* Ulrici uxor eſſe non *poterat, quare is aliunde mendoſiſſimus, hac in parte non deſeritur? Quare res, quæ nulla ratione ſubſiſtere poteſt, tanto ſtudio, invita licet Minerva, agitatur?* Pulchra poſtulatio! dignum viro erudito petitum! ut cum frivolum aſſertum P. Herrgotti ſcriptoris hodierni cum certo aſſerto Anonymi Murenſis, ſcriptoris coævi conciliari nequit, ab hoc diſcedamus, ab illo ſtemus: Seu (quod idem eſt) ut, quia P. Herrgottus, etſi neque à

(a) Cit. lib. & cap. § XI. & XIII.

Diplomate, neque à ratione, neque à ſcriptore aliquo antiquo præſidium habeat, im̃o à tali adhuc impugnetur, Ulricum Kichenzæ maritum facit: Ideo Scriptorem, tum à loco ubi, tum à tempore quo ſcripſit, graviſſimum, ex cujus ſententia contrarium ejus, quod P. Herrgottus ſtatuit, eruitur, erroris damnemus. Qui talia audet, quid non audeat?

Concurrat veterum licet in te turba, potes tu
Hac una omnes vincere voce: Nego. (a)

Ut enim rectè hic (b) advertit P. Ruſtenus ipſe: *unus plus negare poteſt, quam centum affirmare:* Quod aliàs de obſtinatis dici ſolitum, hic vero in Anonymum noſtrum conjectum, ad ſe recipiat, velimus.

VI. Nunc unum adhuc probare, aut potius jam probatum confirmare habemus: ſcilicet, quod una eademque fuerit familia Lenzburgenſis, & Badenſis. Potiſſima ratio, cur id ſtatuamus, eſt, quod, ut ſupra (c) ex charta quadam Illuſtrium Canoniſſarum in Schönis audivimus, Ulricus dives Comes de Lenzburg, & Arnoldus Comes de Baden, qui ineunte ſeculo XI floruerunt, *fratres* fuerint. Accedit, quod Chuno, ſeu Conradus Comes, qui hos Ulricum & Arnoldum ætate im̃ediate præcedit, & fortaſſis illorum pater erat, in necrologio Einſidlenſi (d) recentiori quidem, ſed ex vetuſtis monumentis collecto, utroque cognomine done-

ne-

(a) Owenus in Epigr.
(b) Citat. § XIII.
(c) Hoc § num. II. pag. 134. in nota 1.
(d) Apud P. Herrgott. cod. prob. num. CMXLVIII. p. 834. ad d. Non. Jun.

netur, Lenzburgensi nimirum & Badensi, & quod ex filiis Richenzæ, qui dictos Ulricum & Arnoldum ætate non longe subsequuntur, quidam de Lenzburg, quidam de Baden cognominentur in Actis Murensibus. Quæ duo loca simul considerata lucem sibi mutuo ita fœnerantur, ut, donec fidem habebunt (habebunt autem nunquam non) quemcunque in nostram sententiam pertractura sint. Adde, quod Lenzburgenses & Badenses eadem nomina gesserint: non vanum argumentum, ubi lux aliqua aliunde jam affulget. In gente Badensi vix alia reperias nomina, nisi Arnoldi, Ulrici, Chunonis: Atqui hæc ipsissima nomina, nec alia plerique Lenzburgenses gesserunt. Esset præterea valde mirum, si eodem tempore, & in Lenzburgensi (a) & in Badensi (b) gente Ulricus, Arnoldus, Wernherus, Chuno fratres floruissent, nisi utrobique iidem essent. Majoris autem momenti est (maxime cæteris simul consideratis) quod, ut Auctor Vind. quoque observavit (c), superius dicti Ulricus Comes de Lenzburg, & Arnoldus Comes de Baden in Castris Rhætiæ prope monasterium Schönis eadem *prata, sylvas, lacus, ecclesias, villas*, idem *territorium*, eademque in hoc *jura* communiter possederint; quippe quæ dicto Monasterio communiter donaverunt, ita testantibus ejus loci monumentis (d). *Bona hæc ei loco contigua, & uni veluti septo inclusa, non facile quis credat, ad diversas familias, easque tantopere INDE distantes* (*inde,* inquit Vindex, quod fidelis Ad-

(a) Vid. P. Herrgotti ch. a. 1127. 11. Aug.

(b) Vid. ejusdem chartæ A. 1130. 22. Jan. & an. 1155. 8. Decemb.

(c) Citat. lib. I. cap. XIII. pag. 109. & 110.

(d) Apud Herrgottum cod. probat. n. CCLXXVI. & apud Ægid. Tschud. cit. lib. de armis gentil. nob. famil. Helv. pag. 73.

Adverſarius citando ejusdem verba ingeniosè tacet, poſtea verò audenter *inter ſe* ſubſtituit. Et dehinc ſatis mordaciter impetit (a) *ſpectâſſe*. Et ſiquidem Ulricus partem ſuam (uti ipſe P. Herrgottus docet (b) jure hæreditatis à parentibus poſſedit, hancque ideo dicto Monaſterio conceſſit, quod Majores ſui illud fundaverint: Quis dubitet, quin & Arnoldus ſuam eodem jure poſſederit, eadem de cauſa illi Monaſterio tradiderit? His omnibus attentis, ſi cui necdum evidens ſit, quod eadem familia fuerit Badenſis & Lenzburgenſis, huic vel ipſe ſol obſcurus videatur. Habet tamen Adverſarius, quod opponat, non ſecundo equidem, aut tertio argumento ex Necrologio Einſidlenſi, Actis Murenſibus, nominum denique identitate ductis; quippe quæ hactenus nemo protulit: Sed neque primo, quod ex charta quadam Schannienſi petitum fuit, in qua Ulricus de Lenzburg, & Arnoldus de Baden fratres appellantur; utique quia conſultius duxit, nucem non mordere, quam dentis periculum facere. Ubi equidem recte ſapit; ſi tamen ſapere eſt, contrariæ ſententiæ argumenta ſilere, & nihilominus ſuam aliis perſuadere velle. Ad quartum autem reſpondet, nihil obſtare, quo minus aliquis in alterius ditione bona habeat (c): Quæ reſponſio quale mereatur elogium, nemo non videt; quippe cum argumentum noſtrum non ſolum non evertat, ſed ne quidem attingat. Dicimus enim, credibi-

(a) Cit. lib. I. cap. XV. § XVII.
(b) Lib I. cap. VIII. § V.
(c) Cit. lib. I. cap. XV. § XVII. ubi, quemadmodum etiam antecedentibus & ſubſequentibus nonnullis §§ plura alia habet his ſimilia. Hinc eſt, quod pleriſque & referendis & refellendis ſuperſedeamus.

bile non esse, quod ex diversis familiis oriundi sint, qui simul eadem prædia, easdem Ecclesias, easdem villas, idem territorium, & in idem hoc territorium eadem jura dominica possident, & indivisa quidem possident: Cl. Rustenus autem opponit, rarum non esse, quod unus in alterius ditione bona possideat, quin ille hunc ulla consanguinitate attingat: quod quid aliud est, quam Adversarii sui argumentum eludere? Tibine idem est R. Pater, *eandem terram possidere, eademque in hanc jura exercere, quam alter simul possidet, quæque alter simul exercet*, &: *Bona in alterius ditione possidere?*

At nunc Adversarius cognominum, armorumque diversitatem objectat (a). Quasi vero factum nunquam fuisset, ut, qui ex eadem prosapia descenderunt, à diversis dominiis diversa gestarent. De armis non est dubium; & hospes sit in re antiquaria (sua quisque ut ferat, æquum est) qui, quod Adversariis placet, uni genti eadem constanter in usu fuisse contendit. Exempla in contrarium non solum non desunt, sed etiam frequentissima occurrunt: malumus autem, *si qui forte sunt* (Adversario hîc sua redduntur) *his in rebus minus versati*, ad hujus argumenti mystas remittere: ex quibus (ut unicos excitemus) sæpe laudati novi tractatus diplomatici Auctores San-Mauriani diserte nobiscum faciunt, dicentes: *satis frequenter contigisse ut, ubi quis novum aquirebat dominium, arma mutaret* (b). Patere id ex charta quadam anni 1258., quam cum Henricus Theobaldi posthumi cognomento magni Regis Navar-

(a) Ibidem § XIV.
(b) Part. II. Sect. V. cap. VII. art. II. pag. 390. & 391.

ræ, & Comitis Campaniæ filius roborâsset, addit: *si in requirendo dominio sigillum mutare contingat*, promitto & illud præsenti chartæ apponere. Eodem modo se res habet cum cognominibus, circa quæ utique ipsis Adversariis nobiscum convenit; ut qui ingenue fatentur (a). *Illustria exempla haberi in omni fere genealogia, quod sæpe filius natu major facta divisione paternorum bonorum, vel avitum, ac gentilitium nomen conservaverit, vel amiserit; hujus vero fratres à regionibus, terris, castris, quæ eisdem obtigerant, nomina assumpserint.* Quibus adde: quod non raro nobilis, qui plura dominia possidebat, per vices diversas inde denominationes adoptârit, ut id exempla ex seculo tum XI. tum XII. probant (b). Dubitas forsan, fuerintne, qui occasione hæreditatis non sola arma aut sola cognomina, sed utrumque mutaverint? Atqui Rudolphi Taciturni Comitis de Habsburg posteri ex Eberhardo, ad quem jure connubii cum filia ultimi Comitis de Kiburg totus hic Comitatus devolutus est, abjecto & scuto & cognomine avito, sola Kyburgensia assumpserunt (c) Sic quoque Ludovici VI. Galliarum Regis cognomento *Crassi* posteri ex Roberto, cui pater Comitatum Drocensem agri Carnotensis in proprietatem dedit (non in appangium, ut quidam volunt) (d) siquidem constet, ante tempora Philippi Augusti portiones filiis Regum na-

(a) Herrgott. Proleg I. § XIII. num. V. P. Rustenus autem cit. lib. & cap. § XV.

(b) Cit nouv. traité de Diplom Part. III. Sect. I. cap. III. pag. 563.

(c) Vid. Herrgott. lib. V. cap. III. § II. & cap. II. ubi quorundam sigilla exhibet.

(d) Geneal. Historiques Tom. III. pag. 486.

natu minoribus conceſſas, illis proprias fuiſſe (a) inſuper habitis & inſignibus & titulis, quæ Regiam originem indicarent, Drocenſium Comitum arma & cognomen adoptârunt (b). Sic Theodorici Alſatici ſecundi hujus nominis Lotharingiæ Ducis poſteri, qui Comitatu Flandriæ potiti ſunt, nihil ſibi vel de cognomine, vel de armis gentilitiis arrogantes, ſola illa Comitum Flandrenſium delegerunt (c). Ergo diverſitas cognominum & inſignium non certum diverſæ originis argumentum eſt; quia ſæpe factum, ut etiam qui ex eadem familia oriundi erant, à diverſis dominiis diverſa geſtarent. Numquid autem ex eo, quod *hoc illud in hac illa familia contigerit*, ſequitur, id etiam *in familia Lenzburgica contigiſſe* (d)? Minime gentium: Sed neque ſic argumentamur, ut cuilibet noſtra legenti patebit. Lenzburgenſes enim cognomen & inſignia mutâſſe, non hinc arguimus, quod alii nobiles illa mutàrint ſed inde, quod conſtet, eandem fuiſſe familiam Badenſem, & Lenzburgenſem. Nempe diſcurſus noſter huc redit: ex veteris ævi monumentis liquet, quod Ulricus de Lenzburg, & Arnoldus de Baden fratres fuerint (reliqua argumenta, non opus eſt, repetere) ergo eadem familia fuit Badenſis, & Lenzburgenſis. Nec obſtat cognominum armorumque diverſitas: Quod enim in aliis familiis contigit (contigit autem ſæpe, ut illarum ſurculi à diverſis dominiis diverſa geſtarent) poterat etiam

X 2 in

(a) L'Art de verif. les Dates. Part. II. pag. 582. art. *Robert.*

(b) Layette *Dreux* num. 1. apud Auctores cit. trait. nouv. de diplom. part. II. ſect. V. cap. VII. art. II. pag. 291.

(c) Calmet. Hiſt. de Lorr. ed. nov. Tom. II. Proleg. col. LX. XXXVII.

(d) Sic fere Adverſarius cit. lib. & cap. § XV.

in Lenzburgensi contingere : Imo revera contigerit, hoc ipso, quod Badenses à Lenzburgensibus originem traxisse probentur. Quo in discursu, si quis cum P. Rusteno *sophismata* & *paralogismos* detegat, qua ratione sese apud Eruditos à turpi ignorantia aut livida obtrectatione purgare possit, non videmus.

§ III.

1. NUnc P. Herrgottus Anonymo nostro alium errorem objectat : Quod scilicet, ubi ait : *Ita de Thierstein, sive Homberg genuit Wernherum & Ruodolfum*, familias de Thierstein, & Homberg (castra fuere inter se vicina, atque in valle Friccensi sita) confundat ; quas tamen (subdit censor (a) diversas fuisse, *ex chartis nostris luce meridiana clarius constat.* Nobis certe Cl. Pater vix persuadeat, Genealogum supparem, fortassis etiam contemporaneum ignorâsse, quo cognomine venerit Ita, mater hic dicta Wernheri & Rudolphi. *Sed nec charta* (inquit Auctor Vindiciarum) (b) *ad quas is provocat, dictarum familiarum diversitatem monstrant.* Vetustissimi, quos illæ memorant, sunt ex familia Hombergica Wernherus, qui anno 1125. celebratur (c) ; ex familia autem Thiersteinia Rudolphus, qui anno 1212. occurrit (d). *Cum ergo* (pergit Vindex noster) *chartæ P. Herrgotti sileant de familia Thierstein usque ad annum* 1212. *an inde* „ luce Meridiana cla-

(a) Proleg. III. § XIV.
(b) Part. I. cap. XIV. pag. 113.
(c) Vid. Herrgott. lib. VI. cap. IV. pag. 282.
(d) Vid. idem eodem lib. cap. II. Tab. V. pag. 274.

clarius„ , *Hombergensem familiam ab hac ultima longe diversam fuisse eo tempore, quo Ita nostra floruit*, id est seculo XI. finiente, & XII. ineunte? Absque dubio (respondet P. Rustenus) (a): Ubi enim diversa occurrunt familiarum nomina, diversæ etiam sunt familiæ. Transeat quod vis; sed pro tempore, circa quod utrumque cognomen, alterum quidem huic, alterum illi additum occurrit: Transeat, inquam, quod familia Thiersteinia ab Hombergica diversa fuerit eo tempore, quo ambo cognomina, singula quidem singulis hominibus indita occurrunt: an inde, quia id in seculo XIII. fit, recte infertur, familias hasce seculo XI. fuisse diversas? Etiam, inquit Adversarius, donec contrarium probetur. Mirùm ut etiam

Quod in manu teneas, atque oculis videas, id desideres (b).

Si verba illa genealogi: *Ita de Tierstein-sive Homberg*, eo sensu, quo Adversarii volunt, accipienda sunt, ut scilicet utramque familiam in unam conjungant, nonne quod probatum vis, satis probatum est? Esto, inquis, si cognomine Thiersteinio insignitus nemo ante seculum XIII. occurreret: Atqui in Actis Murensibus *Ruodolfus* aliquis *de Dierstein* jamjam ad annum 1082., adeoque ad ipsum illud tempus, quod Ita nostra vixit, memoratur (c). En ipsissimum quod Auctor Vindiciarum volebat, cum ait: *Aliunde* (atque ex chartis P. Herrgotti) *concedimus, familias de Thierstein, & Homberg jam ævo Ita diversas*: quamquam (ut, quod res

 est,

(a) Lib. I. cap. XVII. § VI.
(b) Plaut. in Trinummo.
(c) Edit. Murens. pag. 23.

eſt, dicam) cum Rudolphus iſte jam anno 1082. vixerit; juxta dicta autem in ſtemmate Hombergico ſuperiorem non legamus Wernhero, qui demum anno 1125. adeoque totis quadraginta poſt Rudolphum annis occurrit, nullam nobis hanc diverſitatem pro ævo Rudolphi ſtatuendi neceſſitatem imponat Actuarius cum ſolis chartis P. Herrgotti collatus. Pro certo itaque tenere poſſemus (ſiquidem verba illa: *Ita de Tierſtein ſive Homberg* in ſenſu Adverſariorum intelligenda ſint, neque aliud illis obſtet, niſi chartæ P. Herrgotti) tempore Itæ unam eandemque fuiſſe familiam de Tierſtein & Homberg, adeoque ipſam etiam Itam ex marito utriusque caſtri Domino, *de Tierſtein ſive Homberg* dictam; familiam autem iſtam ævo demum poſteriori in duas lineas abiiſſe, à ſuo quamque Domino diſtinctas. Demus tamen, familias iſtas jam ævo Itæ diverſas: ergone confecta res eſt, quod utraque in unam conjungatur, quando ita vocatur *de Tierſtein ſive Homberg?* puto, quod non. *Quid* enim (inquit Auctor Vindiciarum) (a) *ſi illam primis nuptiis Thierſteinio, ſecundis autem Hombergenſi Comitibus junctam dicamus? hac quidèm ratione & familia Hombergenſis à Thierſteinia manet diſtincta, & Ita ſine errore vocatur de Thierſtein, ſive Homberg.* Paucis hic ſeſe expedit Ruſtenus, dicens (b): Matrimonia hæc non conjectanda ſolum, ſed etiam probanda fuiſſe. Quo de reſponſo quid tenendum ſit, nobis etiam tacentibus, quilibet critices non omnino imperitus pervidet. Anony-

(a) Cit. part. I. & cap. XIV. pag. 115.

(b) Cit. lib. & cap. § VII.

nymus Murensis Itam nostram vocat *de Tierstein sive Homberg:* Hinc inferunt Adversarii, quod binam hanc (ut supponunt) familiam pro una sumat, quin tamen probent, quod hic locus aliter intelligi nequeat. Itaque hanc illorum conclusionem pro Sophismate habemus, quod ab *imperfecta enumeratione* vocant: et nonne bene, si locus ille alio adhuc modo accipi potest? imo optime. Sic enim argumentamur: Nulla est necessitas, ut verba illa: *Ita de Tierstein sive Homberg,* eo sensu, qui Adversariis placet, accipiamus, sicque vi illorum binam hanc familiam in unam conjungi dicamus: Quia Ita successive utriusque castri Domino nupsisse, atque adeo alia adhuc de causa utroque cognomine donari poterat: Ergo ex eo, quod vocetur *de Tierstein sive Homberg*, non sequitur, has familias confundi. Quem discursum utique quilibet prudens approbaverit, donec P. Rustenus probet, quod verba illa: *Ita de Thierstein sive Homberg* necessario ita intelligi debeant, ut vi illorum utraque familia in unam conjungatur. Quamquam etiam, si id probaret, res necdum confecta esset: Siquidem, ut suprà jam advertimus, ostendere nequit, quod familiæ illæ tempore Itæ jam diversæ fuerint.

II. Attingimus nunc punctum majoris momenti, eandem tamen, qua de hactenus disputavimus, Itam attinens. Juxta Anonymum nostrum *Ita de Tierstein sive Homberg genuit Wernherum & Ruodolfum de Habspurg:* at enim (subdit P. Herrgottus) (a) *res hæc in manifesto errore deprehenditur.* Accipe, quam reddit, ratio-

(a) Proleg. III. § XV.

tionem. Ita inquit (filia Wernheri II. Comitis Habsburgici Thiersteinio nupta (ut Anonymus noster testatur, cum ait: *Wernherus genuit Ottonem & ITAM DE TIERSTEIN*) utique non genuerit Comites de Habsburg: Quandoquidem Otto II. Itæ frater, & Wernherus III. ejusdem ex fratre Ottone nepos, stirpis Habsburgicæ propagatores extiterunt. *Si hoc ultimo negato* (inquit Auctor Vindic.) (a) *primum illud asserat Genealogus, Murensis; si, inquam, in vicem Ottonis II. ac Wernheri III. stirpis Habsburgicæ propagatricem substituat Itam illam Thiersteinio nuptam, manifesti erroris merito arguatur; secus si mens ipsi quoad utrumque contraria, interprete vel ipso P. Herrgotto.* Ipsomet P. Herrgotto? ita omnino est: alibi enim (b) sententiam Eccardi adoptat, qui (c) duas distinguens Itas, Anonymo nostro de Thierstein dictas, alteram quidem ortu Habsburgicam, uxorem autem Rudolphi Comitis de Thierstein: alteram ortu Thiersteiniam, uxorem vero Wernheri III. Comitis de Habsburg, hæc Genealogi verba (*Ita de Tierstein genuit Wernherum & Ruodolfum de Habspurg: Idem Wernherus genuit Adelberctum*) pronomine *idem*, quod Wernhero, & cognomine *Habspurg*, quod filiis Itæ additur, inductus fere hic interpretatur: *Wernherus III. ex Ita de Tierstein genuit Wernherum & Ruodolfum de Habspurg: Idem Wernherus III. ex alia conjuge genuit Adelberctum.* Si ergo hæc genuina *Auctoris* nostri *mens* est, ut P. Herrgottus post Eccardum defendit (d), atque adeo ille hoc loco de Ita lo-

(a) Part. I. cap. XV. pag. 117.
(b) Lib. II. cap. IV. § I.
(c) Orig. Habsb. lib. II. cap. V. & VI. (d) Loc. cit.

loquitur Wernheri III. conjuge ; quid consequentius, quam quod Wernherum hunc stirpis Habsburgicæ propagatorem constituat ? Quid contra repugnantius, quam alibi dixisse, sermonem hic nostro esse de Ita Thiersteinio nupta, hancque in vicem Wernheri III. stirpis Habsburgicæ propagatricem substitui, atque hinc intulisse, recitatum modo locum Genealogi *in manifesto errore deprehendi* ; quia certum sit, Wernherum III. stirpem propagâsse ? Saltem negari non potest (inquit P. Rustenus) (a) locum valde obscurum esse : Judicet ergo Lector, an non recte dictum sit à P. Herrgotto : *Res hæc in manifesto errore deprehenditur* (b). Egregiam Dialecticam, quæ sic ratiocinari docet : *Hæc narratio obscura est ; ergo falsa.* Mihi olim in Logica dictum est, *ejusmodi principium converti minime posse* ; *ut quemadmodum omnia, quæ nobis evidentia sunt, vera putari debent* ; *ita quoque falsa censenda sint illa, quæ nobis obscura sunt* (c). Si contrarium doctus sit Adversarius, miseror vicem ejus, suasorque eidem sim, ut quantocyus sententiam mutet ; quippe nimium periculosam ; ut juxta quam nullibi plures reperire esset falsitates, atque in ipsis sacris paginis.

§ IV.

1. ACcedimus nunc ad reliquos errores, quos Adversarii, Anonymo Murensi objectant. Cur is Genealo-

Y giam

(a) Lib. I. cap. XVIII. quo toto nihil aliud probat.
(b) Sic dictum Caput concludit pag. 173.
(c) Corsinus Log. Part. IV. cap. III, § IX. mihi pag. 256.

giam ſuam ab Ita auſpicetur (id quod ijs primo omnium diſplicet) (a) ſuperius jam diximus: Haud dubie quod primaria Monaſterii, cujus initia ſcripturus erat, Fundatrix fuerit. *Congruentius* eum feciſſe, quam ſi à Radebotone incepiſſet, opus non eſt, ut negetur; quandoquidem id neque diximus unquam (contra quam P. Ruſtenus comminiſcitur) (b) neque nunc dicimus. De eo, quod porrò reprehendere videbatur P. Herrgottus, nempe quod Scriptor noſter Itam non à cognomine gentilitio *Duciſſam de Lothringen*, ſed à cognomine mariti *Comitiſſam de Habſpurg* appellet, omnino non eſt, cur loquamur; cum Advocatus ſuus eum non ſolum erroris non poſtulet, ſed neque poſtulatum fuiſſe contendat (c). De cognomine Habsburgico alia hic oritur quæſtio, quando nimirum primitus aſſumptum fuerit. Factum id contendunt Adverſarii (d) anno 1114. Non admodum adverſamur, ſi ſeptemdecim ſaltem annos detrahant; eoquod litteræ S. R. E. Cardinalium pro Monaſterio Murenſi, vivente adhuc Wernhario II. atque adeo ſaltem anno 1096. datæ, Comitem hunc expreſſe de Habsburg cognominent (e). Proteſtari autem hic debemus, nos Adverſariis non ideo non refragari, quia Radeboto in charta quadam anni 1023. & Otto in alia charta anni 1025. nominati, cognomine Habsburgico ibi non donantur; qui P. Herrgotti Achilles eſt. Nam primo pro certo hic ſupponitur, quod

(a) Herrgott. Proleg. III. § XII. P. Ruſtenus lib. I. cap. XIV. § II.
(b) Ibidem.
(c) Ibidem § III.
(d) Herrgott. Proleg III. § XII. P. Ruſtenus cit. lib. I. cap. XIV. § IV. & ſeq.
(e) Extant illæ in Actis Murenſ. pag. 27.

quod adhuc in quæſtione eſt : ponitur , inquam , Radebotonem & Ottonem dictis in chartis nominatos, eosdem eſſe cum Radebotone & Ottone Habsburgicis , non attento, quod ex identitate nominum nulla ſit argumentatio ad identitatem perſonarum. Tranſeat autem, Radebotonem & Ottonem veſtros eosdem eſſe cum noſtris ; an inde, quod ſemel absque cognomine Habsburgico comparent, ſequitur, ut illud toto vitæ ſuæ tempore nunquam uſurpaverint ? Demus & hoc : an ſoli Radeboto & Otto , nec alii hujus familiæ inde ab ineunte ſeculo XI. usque ad initium ſequentis vixerunt ? At nullum P. Herrgotto ſua inſtrumenta ſiſtunt nomine Habsburgico inſignem, inquit P. Ruſtenus (a) ; etſi ex illo ſeculo ultra viginti ejusmodi inſtrumenta producat. Veriſſime dictum, ſed nihil ad rem : quippe cum in omnibus iſtis chartis (ſi forte duas illas, de quibus jam diximus, excipias) nullus occurrat, qui ex familia Habsburgica oriundus fuiſſet. Sed neque ideo Adverſario non refragamur, quod cognomina à bonis aviaticis ducta ante ſeculum XII. in uſu non fuerint : id enim aperte falſum eſt. Illa in Italia jam ſeculo X. uſurpari cœpta, ipſemet P. Ruſtenus ex Muratorio ſtatuit (b). In Galliis haud recentiora eſſe , ex Ballzio aliisque diſcimus (c). Apud Germanos vix ſerius obtinuerunt , uti fidem faciunt exempla , quæ apud Bernardum Pezium (d) , Henricum de Falkenſtein

 (a),

(a) Lib. I. cap. XIV. § V. (b) Ibidem § XI.

(c) Vid. nouv. traité de Diplomat. Part. III. pag. 561. & ſeq.

(d) Theſaur. anecd. Tom. V. col. 258. in charta anni 1071. Item Tom. I. col. 108. in charta anni 1028. & col. 128. lin. 1. & 2. in charta ante annum 1064. data. Porrò in Epiſt. de Etymo nominis Habsburg. Probat. III. pag. 61. Charta data eſt circa annum 914.

(a), aliosque occurrunt. Eodem fere tempore illa etiam in Helvetia, quam hodie vocamus, & quidem in vicinia castri *Habsburg* usurpari cœpta, probat instrumentum Secconiense anni 1029: quippe cui testes subscribunt *Hermannus de Wezenberch*, *Rudolphus de Billstein*, *Arnoldus de Mandach* (b). Ratio ergo, ob quam hic Adversariis fere consentiamus, vel potius non adversemur (nihil enim habemus, quod etiam consentire cogat) hæc est, quod, quamquam cognomina jam seculo Christi X. & latius XI. usurpari cœpta sint; positive tamen probari non possit, etiam Habsburgios hunc morem secutos ante finem seculi XI. Etsi enim Radeboto ab Actuario Murensi cognomine Habsburgico mactetur, ex hoc tamen non consequitur, ut illud revera assumpserit; cum innumera tam in Chronicis, quam Diplomatibus cognomina inveniamus Principibus seculo XII. anterioribus indita, quæ cum tempore eorundem solummodo posteri gesserunt, ut alibi recte advertit Adversarius (c). Sed hæc de origine cognominis Habsburgici. Nunc pietas postulat, ut pauca adhuc pro Vindice nostro dicamus; ne, qui P. Rust. plus candoris inesse existimat, atque illi revera inest, & dehinc facile ejus Commentis ductarentur, Nostrum illum etiam pro stipite (quod ajunt) & trunco habeant; qualis certe haberi mereretur, cui jure objectari posset,

quod

(a) In codice diplomatico Antiq: Nordgav. charta XI., quæ de anno 919., charta XV., quæ de anno 1065., & charta XVI., quæ de anno 1087. est.

(b) Extat hoc instrumentum in chronic. Ægidii Tschudii part. I. lib. II. col. 2. ubi (ut id obiter addam) notet velim Rusten. formulam: *Actum .... Warmanno TUM Ecclesiæ Constantiensis Episcopo.* En particulam TUM etiamnum viventi applicatam. Sed hac de re plenius dictum cap. II. §. I. num. IV.

(c) Lib. I. cap. XXV. § III.

quod Adverſarius illi objectat. Saltem (inquit Auctor Vindiciarum (a) Radeboto & Otto *titulum* Comitum de Habsburg *aſſumere potuiſſent*. Acerbe hæc habent perhumanum P. Ruſtenum : unde ad componendam declamatiunculam converſus ait : *Potuiſſet eodem tempore cœlum hiſcere, atque caſtrum Habsburg terræ motu concuſſum ruere ; potuiſſet in Radebotone ſtema (ſupremo numini laudes eximiæ ſint, quod factum non ſit) noſtrorum Principum extingui , & tunc omnis noſtra ceſſaret diſputatio* (b). Quorſum vero iſta Vir Clariſſime ? jamjam intelligo : ſed mentem clarius prodis, cum Vindici noſtro interroganti, quo titulo uſus ſit Wernharius II., ſi (quod P. Herrgottus vult) ab Habsburgico abſtinuerit, reſpondes : potuiſſe illum Comitatum *Rore* rexiſſe, atque ab hoc ſibi titulum adſciſcere , *ſi à potentia ad actum bona eſt argumentatio*, *UT NONNEMO VISUS EST PHILOSOPHARI* (c). Ergo Vindex noſter argumentationis à potentia ad actum traductæ accuſatur : ſed falſo. Ex hac enim propoſitione : *Saltem Radeboto & Otto titulum Habsburgicum aſſumere potuiſſent*, non intulit : *Ergo illum revera aſſumpſerunt*, ſed : *Ergo culpandus non eſt Anonymus Murenſis , quod Radebotoni ejusque conjugi hunc titulum addiderit*. Audiantur ipſa ejus verba : verum dato (inquit) (d) Radebotonem & Ottonem titulo Habsburgico uſos non fuiſſe : *Præfatum titulum aſſumere* ſaltem *potuiſſent*. *BENE ITAQUE EX HOC CAPITE SCRIPTOR MURENSIS*

Y 3 *ITAM*

(a) Part. I. cap. XII. pag. 87.
(b) Cit. lib. & cap. § VII. pag. 132.
(c) Ibidem § XIII.
(d) Cit. pag. 87.

ITAM NOSTRAM COGNOMINAVIT COMITISSAM DE HABSBURG, TITULO VIDELICET MARITI, AD QUEM ILLE LIQUIDUM JUS HABEBAT. Hæc eodem loco, quem Adverſarius hic mordicat, prolata pariter legere, lectaque expendere oportebat. Adhuc unum. Ægre fert, P. Ruſtenus, quod Vindex, ut P. Herrgotti ſententiam de primo uſu cognominis Habsburgici refelleret, ad ſupra citatas litteras Cardinalium provocet. *Quæritur enim*, inquit (a) *de Ita & Radebotone, utrum videlicet nomen Habsburgicum unquam geſſerint, nec ne? Illa anno* 1026. *hic anno* 1027. *è vivis exceſſerunt; nec non de Ottone eorum filio, in flore juventutis extincto, & Adverſarius tamen chartam adducit anno primum* 1096. *vel* 1099. *concinnatam, quæ Wernharium illius fratrem, nomine Habsburgico mactatum fuiſſe doceat. QUÆ CONVENIENTIA?* Sugillatur ergo hic Auctor Vindiciarum, quaſi qui adeo extra chorum ſaltâſſet, ut, ubi de ſeculo XII. ineunte dicendum fuerat, de ejusdem fine diſcurrat. Verùm non ideo ad dictas litteras provocavit Noſter, ut primam, ſed ut alteram ſententiæ Herrgottianæ partem impugnaret: non ideo, inquam, ut Radebotonem & Ottonem, *Comites de Habsburg* compellatos non fuiſſe, *gentemque Habsburgicam nomen ſuum non ſtatim à noviter conſtructo caſtro Habsburg uſurpare cœpiſſe*, (quæ prima P. Herrgotti propoſitio eſt) exinde negaret: de hoc enim in præcedentibus, utputa à pagina 82. fere usque ad finem paginæ 87. jam diſputaverat: ſed ut falſum oſtenderet, etiam *à morte Radebotonis usque*

(a) Ibidem § XI. pag. 136.

que ad Adelbertum filium Ottonis I., id est : ab anno MXXVII. ad annum MCXIV. nullum familiæ hujus nomen Habsburgense sibi adscivisse : quæ altera P. Herrgotti propositio est. Juvat denuo Vindicem ipsum audire. *Progrediamur ulterius* (inquit ille, postquam primam P. Herrgotti propositionem examinâsset (a) *videamusque, quomodo subsistat assertum, ab anno MXXVII. ad annum MCXIV. nullum . . . familiæ hujus nomen Habsburgense sibi adscivisse. Contrarium nos certe colligimus ex instrumento Cardinalium pro im̄unitate Monasterii Murensis dato, in quo Wernharius Radebotonis filius disertis verbis appellatur EGREGIUS COMES DE HABSBURG, &c.* En! quem in finem ad has litteras provocaverit Noster.

II. Quod tertio loco objectant Adversarii, non admodum moramur ; ut qui superius jam ostendimus, quo sensu, videlicet non tam stricte grammaticali scriptor noster Itam monasterii Murensis *reparatricem* vocârit. Unum tantum̄odo examinandum hic restat. *Si pacisci liceret* (inquit Auctor Vind.) (b) *mutuare* à Scriptore nostro *posset* P. Herrgottus *vocabulum reparatricis, idque sexui accomodatum Ulrico Comiti Lenzburgensi tribuere, quem Fundatorem monasterii Beronensis nominat; cum hujus restaurator, seu reparator tantum agnoscatur; recipiet ab eo nomen Fundatoris Scriptor Murensis, Itæ sua applicandum.* Indigne primum hæc fert (ut quæ admodum aculeate dicta existimat) P. Rustenus, tum aliquid subjungit, quod melius sibi excidisse nol-

(a) Cit. pag 87.
(b) Part. I. cap. XII. pag. 92.

nollet; ait autem (a), quod, si quid erratum dici posset, cum Ulricus Lenzburgi Comes monasterii Beronensis Fundator appellatur in genealogia diplomatica, totum illud oscitandi vel amanuensi, vel typographo tribuendum sit, qui *Fundator monasterii Beronis* scripserit, cum exemplar P. Herrgotti *Fundator monasterii Skennines* præferret.

Verba P. Herrgotti de Comitibus Lenzburgensibus agentis sic habent (b): *in monumentis nostris primus se offert Odalricus pater Arnoldi anno* 972. *n. CXLI. huic filium Arnoldum idem instrumentum vindicat, Patronum Ecclesiæ Skennines, quem excipit UDALRICUS, FUNDATOR MONASTERII BERONIS* 1045. *Tom. II. n. CLXXVII., qui pater Henrici, avus dicitur Arnolphi, quem etiam ipsum PRÆFATO MONASTERIO BERONIS advocatum dedit anno* 1036. *n. CLXXIII....... Huic Udalrico... serie proximus comparet... Conradus Episcopus una cum Hainrico filio Udalrici. Hos pone sequitur Arnolfus filius Henrici, nepos UDALRICI Comitis, FUNDATORIS MONASTERII Beronis.* Hæc ille: quibus plane refellitur P. Rustenus. Nisi enim P. Herrgottus scripsisset *Fundator Monasterii BERONIS*, sed *Fundator Monasterii SKENNINES*, quomodo addere potuisset: *quem etiam ipsum præfato* (NB. *PRÆFATO*) *Monasterio Beronis* (*BERONIS non SKENNINES*) *advocatum dedit*? Nempe (inquit) & hic error est amanuensis vel typographi, qui pro *præfato*, *præfati* scribere, dein hoc adjectivum jamjam in anterio-

(a) Cit. I. cap. XIV. § XVI.
(b) Tom. I. lib. I. cap. VIII. § VI.

riorem lineam referre debuiſſet ; ita ut, ubi modo legimus : in charta anni 972. *primus ſe offert Odalricus . . . pater Arnoldi . . . cui filium Arnoldum idem inſtrumentum vindicat , Patronum Eccleſiæ Skenninges ; quèm excipit Udalricus Fundator Monaſterii Beronis . . qui . . . avus dicitur Arnolſi, quem præfato Monaſterio Beronis advocatum dedit* , legendum ſit : *Quem excipit Udalricus Fundator præfati Monaſterii Skenninges . . qui . . avus dicitur Arnolfi , quem Monaſterio Beronis advocatum dedit.* Sic bene , incredibile incredibili ſuperſtruatur , ut ita omni me leves onere ; ſiquidem , *quæ à veritate non veniunt , nullo impellente ſeſe ipſa ſubvertunt* (a). Sed demus, quod petit Adverſarius : amabo ! cujus culpa accidit , quod Ulricus (ut citatum P. Herrgotti textum legenti patet) etiam iterato *Fundator Monaſterii Beronis* vocetur ? an denuo amanuenſis vel typographi? mihi hercle non fit veroſimile : quamquam , ſi P. Ruſteno, & hoc concedam, non videam, quid lucri aut P. Ruſteno, aut Herrgotto, accedat; eoquod perinde ſit, an Monaſterii Beronenſis, an Schannienſis Fundator dicatur Ulricus ; cum neutrius Fundator , utriusque reſtaurator tantum fuerit. Reſtaurator , inquam , non Fundator; quod , tametſi utrumque Monaſterium ædificârit (unde P. Ruſtenus utriusque illum Fundatorem vocare non dubitat) id tamen non primus præſtiterit ; quippe cum Beronenſe jam ante annum 888. (b) , Schannienſe jam anno 908. aut etiam duobus annis citius (c) conſtitu-

Z tum

(a) S. Auguſt. de civit. lib. VII. cap. 18.
(b) Repet. dicta hoc cap. § II. n. 2. pag. 132. not. 1.
(c) Vid. Mabill. annal. Tom. II. lib. XXVII. pag. 380. § LVI.

tum fuerit; Ulricus contra demum ſub initia ſeculi XI. vixerit. At nomine Fundatoris apud veteres non ille ſolum venit, qui primus Eccleſiam extruit, ſed etiam ille, qui reſtaurat maxime (a). Acceptamus hanc eruditiſſimorum Gloſſarii Cangiani Editorum notam; attamen cum diſtinctione ipſis minime contraria. Nomine Fundatoris etiam is venit, qui proprie tantum reſtaurator eſt, venit inquam male, & ut P. Herrgottus ait, in *ſenſu alieno*, concedo: recte & in *ſenſu proprio*, nego. *Quî reparari dici poteſt* (inquit P. Ruſtenus, ubi Actuarium noſtrum ob titulum *Reparatricis* Itæ inditum exagitat) (b) *quî reparari dici poteſt, quod primum extruitur? & quis Gramaticorum reparare dixit pro conſtruere?* Quæro ego viciſſim, quî fundari dici poſſit, quod pridem ſubſtitit, & quis Gramaticorum *fundare* dixerit pro *reparare?* Ergo ſi paciſci liceret, mutuare poſſet P. Herrgottus vocabulum Reparatricis, idque ſexui accomodatum Ulrico Comiti Lenzburgenſi tribuere, quem Fundatorem Monaſterii Beronenſis (fac etiam Schannienſis) nominat; cum horum reſtaurator agnoſcatur. Recipiet ab eo nomen *Fundatoris* Scriptor Murenſis, Itæ ſuæ applicandum: *Quam quidem comutationem* (ſubjungit Vindex noſter) (c) *eo minus recuſabit, ne nomen Fundatoris reſtauratori tribuendo, contra ſe ipſum in ſententia confirmet Pezium, quem* (d) *redarguit, quod Wernherum Epiſcopum Argentinenſem pari ſenſu caſtri Habsburg Fundatorem intellexiſſet* (e).

III. Nunc

(a) Sic Ruſten. citat. lib. & cap. § XIX. ex gloſſario Cangiano v. *fundare*. (b) Eodem lib. & cap. § XIV. (c) Part. I. cap. XII. pag. 92.
(d) Lib. I. cap VI. § IV.
(e) In epiſt. de Etymo nominis Habsburg. pag. 17.

III. Nunc Adversarii scriptori nostro quatuor adhuc errores objectant. Primus sit, quod Itam fundatricem nostram sororem vocet (a) Wernharii Episcopi Strasburgensis: si enim Ita Lotharingica, & uxor Radebotonis, quomodo soror Wernharii, qui genere Habsburgicus, & frater Radebotonis fuit (b)? nempe si Kanzelinus pater Radebotonis & Wernharii duas habuit uxores, & ex prima Radebotonem, ex altera (vidua quidem Ducis Lotharingiæ, jamjamque matre Itæ) Wernharium progenuit. At de duplici hoc Matrimonio Kanzelini in tota antiquitate nullum vestigium (c). Quasi vero Scriptor Murensis, Itam sororem simul & fratriam Wernharii constituendo, illud non satis clare doceret, neque tam antiquus esset, ut ei hac in re fides haberi possit. Qui contendat, nuptias illas dicto modo non evenisse, id probet positive ex Diplomate, vel Scriptore coævo; secus Anonymum nostrum è possessione fidei suæ nunquam dejiciet. *Assertum enim Scriptoris antiqui* (inquit Auctor Vindiciarum cum toto Eruditorum senatu (d) *Assertum Scriptoris antiqui*, qualem nostrum ipsemet P. Rustenus agnoscit, dum illum seculo XII. medio scripsisse nobiscum tenet, *tamdiu sustineri meretur*, *atque adeo præpropere exsibilandum non est, donec de contrario manifeste constet.* Neque terret illud, quod P. Herrgottus alicubi Guillimanno (e), hic autem Adversarius noster Vindici

Z 2 no-

(a) Edit. Mur. pag. 8.
(b) P. Herrgott. proleg. III. § XXIV. Rust. lib. I. cap. XXIV. § VIII.
(c) Sic Rust. cit. lib. & cap. § VII.
(d) Part. I. cap. XXIV. pag. 171.
(e) Proleg. IV. § IV.

noſtro objicit (a): *Ex eo quod res ita ſe habere potuerit, in omni Logica, cumprimis vero in Genealogicis damnatur concluſio, quæ, ut ajunt, à potentia ad actum progreditur.* Enim vero, *ſuppoſita auctoritate Scriptoris antiqui quidpiam affirmantis, hoc eo, quo fieri potuit modo, factum prudenter credimus* (inquit denuo cum omnibus criticis Auctor Vindiciarum (b) *perperam negamus, dummodo videlicet Auctor ille fidei penitus proſtitutæ non ſit; qualem nos Anonymum Murenſem ideo non eſſe exiſtimemus, quod tot alii ipſius in rebus Habsburgicis auctoritatem adeo reſpiciant, ut ſuper eam integras librorum moles fundare non dubitent. Et ſane, quæ is ſcripſit, non confinxit, antiquiſſimus & fideliſſimus*, quo nemo melius res Habsburgicas noſſe & poterat, & debebat, qui coævos rerum retro geſtarum teſtes adhibuit, quem ſuo tempore inveſtigâſſe diligentius, & reperiſſe felicius ex ejus inſtituto haud immerito præſumimus, quando eidem opponi nihil poteſt. Pro certo itaque tenemus, Itam revera *ſororem* fuiſſe Wernharii Epiſcopi, quidquid contradicat omni argumento deſtitutus P. Ruſtenus. *An* enim *usque adeo deſipimus* (ait in re ſimilima Auguſtinus (c) cujus verba neque ad exaltandum, neque ad deprimendum quemquam adpoſuerim : non enim perſonas perſonis comparamus, cum nomina nominibus ſubſtituimus) *an usque adeo deſipimus, ut hic Fauſtum ſequamur, qui ait, ſororem mentitum? Puto, juſtum eſſe, ut in re, quam noverat Abraham nos autem non novimus; Patriarchæ potius credamus loquenti, quod ſcit, quam Manichæo criminanti, quod neſcit.*

Fru-

(a) Cit. lib. & cap. § VII.
(b) Cit. cap. pag. 172.
(c) Contra Fauſtum. lib. XXII. cap. XXXV.

Fruſtra ſatagit ratio noſtra Scriptoris antiquiſſimi aſſerta elevare, quibus neque res ipſæ repugnant, neque auctoritas ulla contradicit.

IV. De altero ac tertio Scriptoris noſtri errore, quos P. Herrgottus (a) in eo ponit, quod ſæpe dictam Itam Monaſterii noſtri *Fundatricem* vocet, & Kanzelinum Radebotonis patrem titulo Comitis de *Altenburg* donet, non eſt, cur loquamur; quando P. Ruſtenus (ut quidem par erat) Itam æque, ac Kanzelinum non incongrue ſic compellatos fuiſſe concedit (1). Ultimus error, quem Adverſarii, aut ſaltem noſter objicit (b), in aſſignando anno emortuali Wernharii Epiſcopi commiſſus ſit. Verba Actuarii, ſic habent: *Tunc* Wernharius, Radeboto & Ita *fecerunt ſcribi chartam firmitatis, in qua compoſuerunt, quot & quanta predia . . . . huc delegâſſent. Confirmatis autem hiis pactis Wernharius Epiſcopus juſſione Cuonradi Imp. ad Conſtantinopolitanam Urbem adiit, ibidemque defunctus & ſepultus eſt, anno Domini MXXVII. indictione X.* Nolumus inficiari, Wernharium demum poſt hunc annum objiſſe; quicunque demum

(a) Proleg. III. § XXIV.

(b) Lib. I. cap. ult. § III. pag. 230.

(1) Quæ Ruſten. per quot neſcio paginas de Comitatu *Altenburg* narrat, morari non vacat. Evenit vero id bono ejus, ut ipſe adverterit, ſi, quæ turbidus effudit, tranquillus ruminetur. Dixiſſe ſufficiat, quod Auctor Vindiciarum nullibi defendat, ejus nominis Comitatum aliquando extitiſſe: ſiquidem hæc duo ſolummodo dicat: primum, falſum eſſe aut certe probari non poſſe, quod Actuarius Murenſis Comitatum *Altenburg* ſtatuat; alterum, quod, etiamſi Actuarius Comitatum hunc ſtatueret, argumenta, quæ P. Herrgottus in contrarium affert, illum non ferirent.

mum ex ſubſequentibus duobus illi fatalis fuerit (1). Murenſes autem ignorâſſe, quandonam Monaſterii ſui Fundator mortuus ſit, nobis Adverſarius non perſuaſerit. Videtur ergo, annum MXXVII., quem Actuarius aſſignat, potius ad abitum, quam ad obitum referri. Saltem nulla urgens adeſt ratio, quæ id credere prohibeat: quod enim nota illa chronologica primum poſt verbum *ſepultus eſt* ponatur, non admodum attendi debet. ſiquidem innumera reperire ſit ejusmodi transpoſitionum exempla, nedum apud barbaros, ſed cultiſſimos etiam ſcriptores. Sic Suetonius de Julio Cæſare loquens (a) ait: *inito honore* (Conſulatûs) *primus omnium inſtituit, ut tam ſenatus quam populi diurna acta conficerentur, & publicarentur.* Ubi vides, to *primus inſtituit* tam ad *conficerentur* quam ad *publicarentur* referri: cum tamen certum ſit, referri non debere: niſi ad ultimum: nec credi poſſit, Suetonium aliud innuere voluiſſe, quam quod Cæſar primus fuerit, qui conſuetudinem ejusmodi Acta publicandi introduxerit. Scimus enim, id genus ephemerides plus integro ſeculo ante jam concinnatas fuiſſe. Pighius ſane in ſuis Annalibus ad nos transmiſit fragmentum valde obſervabile ad annum 585. quod Reineſius ſuæ collectioni in-

(1) Pro anno 1028. ſtant Hermannus contractus, fragmentum hiſtoric. apud Urſtiſium, chronicon Auguſtenſe. Pro anno 1029. Lambertus Schaffnaburgenſis, chronographus Saxo, chronicon Hildesheimenſe. Sed & ipſi Adverſarii inter ſe diſſident; ſiquidem P. Herrgottus Hermannum, P. Ruſtenus Lambertum ſequatur. Quod magis mireris, eſt, quod, ut ille ſuam, ita & hic ſuam ſententiam communiorem eſſe dicat. Unde Ruſtenus habeat, quod Auctor Vindiciarum pro anno 1028. ſtet, plane ignoro. Si ergo contendendi lubidine teneatur, alium ſibi præſtituat Adverſarium oportet.

(a) In Cæſ. cap. 20.

inſcriptionum inſeruit (a). Aliud fragmentum publicavit Dodvvellus Oxonii anno 1692. Demus autem, annum quæſtionis eo, quem occupat, loco poſitum nullo modo ad *abitum*, ſed non niſi ad *obitum* Wernharii referri poſſe: neque tamen ideo Actuarium noſtrum erroris reum habere cogimur: vel quod exſcriptor numerum Romanum una unitate omiſſa mendoſe depinxerit (id quod ipſemet Adverſarius ſuſpicatur (b) vel quod nota illa chronologica ad alia, de quibus ibi, puta aut ad teſtamentum Wernharii (ut quod revera *anno Domini MXXVII. indictione X.* datum eſt) aut potius ad ejusdem abitum Conſtantinopolim (ut qui itidem in hunc ipſum annum incidit) (c) quam ad obitum pertineat, & ab Auctore vel ante verba *defunctus & ſepultus eſt*, vel in margine poſita; ab exſcriptore autem ſua ſede molita, & loco indebito poſita fuerint.

Longum eſſet (inquit jam P. Herrgottus) (d) & cum eo P. Ruſtenus (e) *Auctoris Murenſium Actorum ſingula errata hic ſigillatim recenſere.* Ergo necdum errorum finis? Corrigamus, ſicubi erratum. At *reliqua hac innumera errata Anonymi Murenſis* (*innumera*, inquit Auctor Vindiciarum, pro *plurima*, quo ſenſu illam vocem & Cicero) (f) & Virgilius (g) & ipſe P. Herrgottus (h) aliique uſurpârunt; ut adeo non videam, cur P. Ruſte-

(a) Pag. 340.
(b) Loco citato.
(c) Hermannus contract. ad h. a.
(d) Proleg. III. § XXIV.
(e) Lib. I. cap. XXV. §. I.
(f) Pro Marcello 8. 30. 35.
(g) Æneyd. lib. XI. ✝. 204.
(h) Cit. proleg. III. pag. XXXI. lin. antepenult.

ſtenus hic naſum corruget (a) *etſi per totum Genealogiæ Diplomaticæ volumen* (adde : & apud P. Ruſtenum *investigata nos fugerunt hactenus* (b). Quid ergo conſilii ? niſi ut, ſi honori ſuo conſultum velint Adverſarii, errores, quorum adhuc conſcii ſunt, detegant. Neque enim hic valet illud Peligni vatis :

Etſi nullus erit pulvis, tamen excute nullum.

V. Tantum pro Scriptore noſtro ab objectis erroribus vindicando. Ex iis porrò, quæ toto hoc capite diximus, colligere cuilibet pronum eſt, quid reſpondendum cenſeamus Adverſariis, dum hanc tractationem his fere verbis concludunt : *Itaque*, cum tot errorum reus ſit Scriptor Murenſis, cur non San-Blaſianus ? *ſtatuendum, tantæ* illum *auctoritatis non eſſe, ut ex ſe ac propria virtute ſine adminiculô ex re Diplomatica petito, in Genealogia iisque in locis, ubi circa rationem temporum difficultas exorta eſt, plenam ac indubitatam fidem facere poſſit* (c). Si objecti illi tot errores plani fieri nequeunt, ſi Actuarius nemini mendoſus eſt, niſi qui illum mendoſe interpretatur, ſique adeo allegata legitimis probationibus deſtituta inveniantur : an non ſententia reformanda, atque è contrariorum regula ſtatuendum : *Scriptorem Murenſem tantæ auctoritatis eſſe, ut ex ſe ac propria virtute, ſine adminiculo ex re Diplomatica petito, tam in Genealogia, quam Chronologia plenam atque indubitatam fidem facere poſſit ?* Verum acta Murenſia nihil magis commendat, quam quod ipſimet, qui ea tantopere ex-

(a) Lib. I. cap. XXV. § I.

(b) Part. I. cap. XXIV. pag. 175.

(c) Herrgott. prol. III. §. XXV. Ruſten. lib. I. cap. ult. § II. & IX.

excarnificant, ipſimet, inquam, Adverſarii magnam Genealogiæ ſuæ partem illis ſolis & unicis (id quod ſequenti atque ultimo capite demonſtratum imus) ſuperſtruant; atque Adverſarius noſter San-Blaſianum Authorem habuiſſe ſumo etſi irrito conatu contendat (a) ut adeo vel hinc ſumopere perſuaſi eſſe queamus de auctoritate fideque illorum maxima.

CAPUT VII.

Oſtenditur, quod, ſicuti Abbas quondam noſter Dominicus Tſchudius, ita & P. Herrgottus Genealogiam Habsburgicam, inde ab Alberto Rudolphi I. Rom. Regis proavo usque ad Guntramnum divitem aſcendendo, ſolis Actis Murenſibus ſuperinſtruat.

REfert, inquit identidem P. Ruſtenus, *refert, quo fonte bibatur*; quibus nimirum monumentis fidem habeat, qui Genealogiam Habsburgicam ſcribit: an Actis Murenſibus, quibus Tſchudius, an Diplomatibus, quibus P. Herrgottus nititur. En igitur, quorſum ſpectet ille græci ſaporis (adverterit Religioſus Adverſarius quid ipſum velimus: *Græca res eſt,* inquit alicubi Plinius, *nihil velare*) ille, inquam, græci ſaporis encarpus, ut vocat, limbolarius, operis ſui fronti præfixus, atque hinc homines ex fonte, illinc boves ex lacu potantes repræſentans, cum prælibato Martialis lemate: *Refert, quo fonte bibatur.* Dicere haud dubie vult Adverſarius: ſe (homines) ex vivo fonte, nos (boves) *ex pigro, cui ſtu-*

(a) Lib. I. cap. XII.

ſtupet unda, lacu bibere. Nolumus hic gravius quidquam in imprudentem Denudatorem dicere, ne multi luant, quod unus peccavit. Mirari tantummodo ſubit, qui fiat, ut frons operis, cui probroſus hic Iconiſmus præfixus eſt, inde non erubeſcat? ſcilicet

Hic nigræ ſuccus loliginis, hæc eſt
Ærugo mera. (a)

Ergo Tſchudii culpa in eo ſit, quod Genealogiam ſuam, *qua parte illam* (inquit P. Herrgottus) (b) *ex chartis & Diplomatibus ſtabilire non poterat*, Actis Murenſibus ſuperinſtruat. Quaſi vero P. Herrgottus ſuam, *qua parte* & ipſe *illam ex chartis & Diplomatibus ſtabilire non poterat*, aliis ſuperſtrueret fundamentis. At collatione facta inter utriusque Genealogiam, hujusque fundamenta conſtabit, P. Herrgottum æque ac Abbatem Tſchudium inde ab Alberto Rudolphi I. Rom. Regis proavo excluſive, usque ad Guntramnum Divitem incluſive, adeoque per ſex gradus lineæ adſcendentis ſolis Actis Murenſibus inniti. En præſentis Capitis argumentum, duobus quidem Paragraphis abſolvendum, quorum primus de Wernhero dicti Alberti patre, Ottone avo, Wernhero proavo; alter de ejusdem Alberti abavo Radebotone, atavo Kanzelino, tritavo Guntramno ea brevitate aget, qua res clariſſimæ tractari debent.

§ I.

1. AD Albertum Rudolphi I. Regis Rom. proavum usque aſcendi poſſe absque Actis Murenſibus, ultro

(a) Horat. 1. Serm. 4. (b) Proleg. III. § XXIII.

tro fatemur. Huic Alberto patrem fuisse Wernherum & Tschudius & Herrgottus tenent: sed qua fulti auctoritate? Tschudius (a) Anonymo Murensi nititur, qui ait: *Wernherus genuit Adelberctum.* Neque alio Auctore stat P. Herrgottus, ut jam demonstramus. Provocat is quidem ad chartas annorum 1141. 1142. 1145. sed inani profecto conatu: eoquod illæ nomen tantum & cognomen Wernheri prodant, quid vero is Alberto fuerit, altum sileant. Jam sic ratiocinatur Cl. Pater (b). *Titulo Comitis Habsburgici insignitus occurrit nemo in monumentis nostris circa medium Seculum XII.*, quo tempore patrem Alberti vixisse necesse est, *nisi Wernherus*: ergo hic pater Alberti fuit. Sed nemo non pervidet, merum hoc esse Sophisma. Quid tum enim, si circa tempus, quo patrem Alberti vixisse dicendum est, in dictis chartis cognomine Habsburgico insignitus nemo occurrat præter Wernherum: an inde consequens est, ut alius ex hac familia tunc non extiterit? Qui id nobis ex chartis persuadere vult, prævie certos nos reddat oportet (inquit alibi in re simili Auctor Vind. (c) *omnia in chartas publicas relata, hasque omnes ad se pervenisse incolumes.* Aliud P. Herrgotti argumentum huc redit: Wernherus patrem habuit Ottonem; Otto hic Alberti avus extitit, & quidem (addere debebat Cl. Pater, cum alias conclusio itidem Sophistica esset) per ipsissimum Wernherum: ergo Wernherus erat ejus pater. Atqui utraque præmissa ex solis Actis Murensibus educta est, ergo & illud, quod ex ejusmodi præmissis in-

(a) De Orig. & Geneal. Com. de Habsb. pag. 95. edit. II.
(b) Geneal. Diplomat. lib II. cap. IV. § I.
(c) Part. I. cap. XII. pag. 82.

infertur, ex Actis Murensibus eductum est: quod ipsissimum volumus. Superest tertium & ultimum argumentum: sed quodnam illud? ipsissimum, quo & Tschudius usus est: testimonium videlicet Actuarii Murensis, qui, ut supra advertimus, diserte ait: *Wernherus genuit Adelberctum.* En igitur, unde Cl. Pater natales Alberti discat: nempe ex solis Actis Murensibus, id quod erat demonstrandum.

II. Wernhero patrem fuisse Ottonem, convenit iterum inter Tschudium & Herrgottum; tantummodo igitur inquirendum, quibus argumentis sententiam suam tueantur. Anonymo Murensi constanter inhærens Abbas Dominicus (a), duo loca ex illo allegat. Primus ita habet: *Otto genuit Wernherum.* Alter: *Comes Otto pater Wernheri Comitis de Habsburg* (1) Videamus jam, quibus testimoniis & P. Herrgottus fulciatur. Nihil hic evincunt chartæ ex Archivo quidem Murensi eductæ (b), in quibus Otto *Gloriosissimus & Illustris Comes de Habesspurch* nominatur: quippe quæ ejusdem rationis

(a) Cit. Orig. Habsb. pag. 77. & 94.
(b) Vid. cit. Geneal. Diplom. lib. II. cap. V. § I.

(1) Huic loco ex *notitia* sub finem Actorum legenda educto frustra auctoritatem Diplomaticam tribuas. *Notitia* illa *mere Historica* est, cujusmodi *notitia* (inquiunt sæpe laudati duumviri Benedictini, quibus fidem habere eo minus dubitabit P. Rustenus, quod pro ipsissima hac re nos ad illos remittat) *auctoritatem suam ab eo mutuantur, à quo concepta sunt: ut adeo major fides ipsis non sit, quam quæ Historicis est: Historicis in iisdem circumstantiis consideratis, in quibus auctores ejusmodi notitiarum constituti erant. Cæteris paribus auctor certus anonymo, ecclesiasticus laico, publicus privato, coævus recentiori præfertur. In amplissima collectione D. Martene & D. Durand* (tom I. col. 51. & 349.) *videre est exempla ejusmodi notitiarum sine nomine testium, sine subscriptione Auctoris.* Vid. nouveau traité de Diplom. Part. I. Sect. II. cap. III. pag. 308. 309. 311. His porro abunde responsum fuerit ad ea, quæ Adversarius lib. II. cap. IX. n. IV. declamat.

nis sunt cum illis, quas numero præcedenti expendimus, quæ nimirum stemma tantum Ottonis docent, quid vero is Wernhero fuerit, tacitum relinquunt. Majoris utique, immo maximi momenti sunt reliqua duo Cl. Patris argumenta: sunt autem ipsissima, quibus Abbas Dominicus usus est: unde etiam efficitur, P. Herrgottum non nisi ex Anonymo Murensi perspectum habere, quo patre genitus sit Wernherus: illo enim solo nititur Dominicus.

III. Patrem Ottonis fuisse Wernharium unanimis denuo Tschudii & Herrgotti sententia est. Accipe jam, quem quosve asserti sui vades uterque alleget. Tschudius (a) plane Anonymum Murensem citat, qui quidem ei non uno loco suffragatur. Genealogia enim Actis præfixa expresse habet: *Wernherus genuit Ottonem.* Accedunt Acta ipsa, ubi legimus: *Wernharius vitæ finem sortitus est anno MLXXXXVI. filiusque ejus nomine Otto in Advocatum pro eo constitutus est.* His non contentus P. Herrgottus etiam ad chartas provocat (b); sed actum agit, inanemque sumit operam; quod illæ *Wernherum* simpliciter *Comitem de Habsburg* vocando, stemma tantum prodant, quid vero is Ottoni fuerit, non expri-mant.

IV. Nec mihi semper opponas: quod, tametsi hactenus in Diplomatibus chartisque P. Herrgotti nuda Wernheri, Ottonis, alteriusque Wernheri nomen & cognomen occurrant, atque adeo Diplomata illa chartæque tantum indicent, quo stemmate nati, minime vero quid quisque alteri fuerit, id tamen efficiant, ut Actua-

(a) Pag. 69, & 70. (b) Lib. II. cap. VI. § II.

rio Murensi, qui utrumque indicat, quoad utrumque præstari fides possit, ac mens humana aquiescere non reformidet, quod Adversarius ad nauseam usque repetit, totumque est, quod hactenus dictis opponit. Cum tamen à contrario concludere potiùs debuisset: chartæ non indicant, quid quisque alteri fuerit, pater an frater: quod tamen acta Murensia clarissimè exprimunt: ergo acta chartis, non chartæ actis fidem faciunt, hunc v. g. Wernherum fuisse patrem Ottonis & neminem alium, chartæ enim illæ confirmare non possunt, quod ignorant, neque adeo testari, quid quisque trium horum Comitum alteri fuerit, sed tantum indicare, quo stemate quivis natus sit. Hic subsistere volentem suffulciunt, illuc progressurum deserunt.

§ II.

1. QUo altius paullatim ascendit P. Herrgottus, hoc minus præsidium à Diplomatibus chartisque suis habet. Nam cum illæ hactenus gradum tantum tacuerint, nunc ipsum etiam stema tacent. Unde est, quod primos tres gradus sub uno, tres posteriores jam alio sub Paragrapho comprehendamus. Wernhero, ad quem Paragrapho præcedenti ascendendo pervenimus, patrem fuisse Radebotonem, itidem tam Tschudio, quam Herrgotto certum est: illi quidem ex Actis Murensibus (a), quorum oraculnm est: *Wernharius Comes filius Radebotonis*, &: *post cujus* (Radebotonis) *obitum filius ejus . . . . Wernharius &c.* & tandem: *Ita* (uxor Radebotonis) *genuit Wernherum.* P. Herrgottus (b) con-

(a) Pag. 39. 40. 44. (b) Lib. II. cap. VII. § II.

contra *monumentorum ſuorum auctoritati confidit* : unde jam diſpiciendum, quænam illa ſint, & quid enuntient. Primum eſt præceptum Henrici Imperatoris, quo Rhinaugienſi Monaſterio prædium Wizzenburg donatur anno 1123. Ex eo in ſtabilimentum ſuæ ſententiæ ſequentia adducit P. Herrgottus : *Monaſterio Rinovva dicto . . . Wizzinburc prædium, . . ſitum in pago Chlegeuvve, in Comitatu vero Radebotonis Comitis . . . concedimus.* Quis vero non videt, ex his ne Apollinem quidem extundere poſſe id, quod hic in quæſtione eſt ? Quid ? Quod nequidem probari poſſit, Radebotonem hunc eundem eſſe cum noſtro ? P. Herrgottus id equidem extra dubium ponit, cauſam interſerens, quod *tunc temporis in tractu Argoviæ & Alſatiæ nullus alius hoc nomine (Radebotonis) occurrat, quam hic, Comes in pago Cleggoviæ.* An vero (inquit Auctor Vindiciarum (a) *quia ſilent chartæ P. Herrgotti, alius præter illum Cleggoviæ Comitem Radeboto tunc temporis in rerum natura non fuerit ? Quam parum convincens paritas nominis, tam fallax eſt convenientia temporis ; ſitque huic injuria, ſi plures ſimul cognomines ferendi potentia privetur : Actum ei chartæ mutæ denegare non poſſunt.* Hæc ille : quem vero P. Ruſtenus redarguit (b), quod P. Herrgotti argumentum *non intellexerit, aut intelligere noluerit.* Unde jam videndum, quomodo vir intelligentior & fidelior illud illuſtret, inſtauretque. Sic autem ratiocinatur : Comites *fiſci* (1) non plures fuere, quam

(a) Part. II. cap. III. pag. 228. (b) Lib. II. cap. VI. § IV.

(1) Comites *fiſci* cum Cl. Schœpflino Alſat. Illuſtr. pag. 776. § LXXIV. eos appellamus, qui re ipſa Comites fuerunt cum exercitio *Comitivæ* ; Comites *fundi* contra, quibus ejusmodi titulus honoris tantum cauſſa tributus fuit ; quod ex Ducali prodirent familia.

quam Comitatus: atqui, quo tempore Radeboto Habsburgicus comitivam exercuisse poterat, singulis Pagis, in quibus Habsburgii quærendi sunt, alii Comites præfuerunt, quam Radebotones, præterquam soli Cleggoviæ: ergo unicus tunc temporis Radeboto in illis Comitatibus extitit; qui proinde idem fuerit cum Radebotone Habsburgico. Sed in primis falsum est, Comites fisci non plures fuisse, quam Comitatus; saltem si de Comitatibus majoribus sermo sit. *Non desunt* enim ***exempla*** (inquit ipse P. Herrgottus) (a) ***probantia, unum Pagum per plures administratum fuisse Comites.*** Quam parum autem vera est ***major***, tam parum probatur ***minor.*** Pagi & Comites, quos Adversarius (b) enumerat, sunt Alsatia superior, in qua anno 1003. Odo, anno 1027. Gisilbertus; Argoja, in qua anno 1045. Arnoldus: Brisgoja, in qua annis 1004. & 1028. Bertholdus, annis 1005. & 1010. Adelbero; Rhœtia, in qua anno 1032. Marquardus; Zurichgoja, in qua an. 975. Managoldus; ac tandem Turgoja, in qua an. 1049. Bertoldus occurrunt. At nemo non videt, hanc enumerationem nihil evincere; 1mò quia aliqui horum Comitum longe ante, aliqui longe post mortem Radebotonis nostri comparent, & ostendi non potest, quod, qui citius occurrunt, ***comitivam*** usque ad mortem Radebotonis, qui vero serius, illam jamjam ante hanc exercuerint. 2dò. Quia Pagi, quos hic enumeravit Adversarius, ex ***majoribus*** fuerunt, qui plures ***minores*** complectebantur, adeoque totidem Comites enumerandi fuissent, quot
in

(a) Proleg. VI. § II. pag. XLVIII.

(b) Cit. lib. & cap. § V.

in ſex Pagis illis majoribus minores Pagi fuerunt. Conſtat enim in quolibet Pago majori plerumque tot Comites jus dixiſſe, quot ille minores complectebatur Pagos. Hinc ſolennis illa formula: *in Pago Grabfeld in Comitatu Alberti, in eodem Pago in Comitatu Henrici,* item *in eodem Pago in Comitatu Chriſtiani &c.* (a) 3tiò. Quia Habsburgii non ſolum in enumeratis, ſed aliis quoque regionibus comitivam exercuiſſe poterant. Fingamus autem, omnes Comitatus, Comites omnes enumeratos fuiſſe, quos nobis enumeratos voluiſſemus; porro in omnibus illis, inter hos omnes neminem occurrere nomine Radebotonis inſignem, præter illum Cleggoviæ: an hinc conſequitur, unicum tunc Radebotonem in his partibus extitiſſe? minime gentium: quia nulla urget neceſſitas, hunc (Habsburgicum ſcilicet) Comitibus *fiſci* adnumerandi; ſed is fortaſſis Comes *fundi* tantum fuit? ſed demus, unicum dumtaxat tunc temporis extitiſſe Radebotonem, eumque Comitem in Pago Cleggoviæ: unde quæſo hunc P. Herrgottus ſtirpe Habsburgicum agnoſcit? *Acta Murenſia,* ait *Patrem Wernharii conſtituunt, qui citra controverſiam Habsburgicus Comes fuerit* (b). Prodit hic itaque Cl. Genealogus, quæ, aliis quibuſcunque deficientibus, ſibi ſuppetant adminicula, quibus hunc Genealogiæ gradum adſtruat: Acta nimirum Murenſia. *Unde miraberis* (inquit Auctor Vindiciarum) (c) *Quod, velut modo dictum gradum aliunde quam ex Actis Murenſibus jam ſufficienter demonſtrâſſet, ſubjungere non dubitet*: „ Ex abundanti

(a) Vid. Chron. Gottwic. lib. IV. pag. 23.

(b) Lib. II. cap. VII. § II. (c) Cit. Part. II. Cap. III. pag. 228.

„ insuper hunc Genealogiæ gradum evincunt memorata „ superius Acta Murensia „. *Præter Acta Murensia nullum P. Herrgotto est monumentum, quo evincatur*, Radebotonem patrem *fuisse* Wernharii: etiamsi pro certo supponamus, Radebotonem in charta anno 1023. occurrentem, eundem esse cum nostro. Chronicon Novientense, & litteras Cardinalium exeunte sec. XI. pro Monasterio Murensi datas, non est, cur moremur; eo quod in illo nihil de Wernhario, in his nihil de Radebotone legere sit, & tam illud, quam hæc, ejus, cujus meminêre, stemma tantum prodant; quippe quod nihil aliud de illis enuntient, quam quod *Comites de Habsburg* fuerint. Chartæ Henrici IV. & Innocentii II. pro eodem monasterio datæ, quarum prior Wernharium I. Wernharii II. parentem, posterior Wernharium II. Wernharii I. nepotem facit, remotis Actis Murensibus pariter nihil probant. Nemo enim ignorat, quam æquivoca sint vocabula *parens* & *nepos*. Sed demus illo non nisi fratrem patris, hoc non nisi filium fratris venire, cur quæso Wernharium I. patruum velis Wernharii II. non ex Kanzelino, non ex Rudolpho, sed ex Radebotone? nempe quia Acta Murensia Wernharium II. filium constituunt non Kanzelini, non Rudolphi, sed Radebotonis. Patet ergo, quod, ut Tschudius, ita & P. Herrgottus non aliunde perspectum habeat, quod Radeboto pater fuerit Wernharii, nisi ex solis Actis Murensibus.

II. Radebotoni patrem fuisse Kanzelinum unanimis denuo & Abbatis Tschudii & P. Herrgotti sententia est. Tschudius (a) Anonymo Murensi fidit, qui

(a) Pag. 25.

qui diserte ait: *morte* (Kanzelini) *audita* . . . . *jussu Radebotonis filii ipsius Kanzelini &c.* . . Qua auctoritate P. Herrgottus nitatur, ex his ejus verbis colligere est: *Murensium Actorum auctoritate, cui hac in re diplomata suffragantur, ad liquidum omnino exploratum est*, quo patre natus sit Radeboto: *ista enim Acta diserte Kanzelino adscribunt masculam progeniem Radebotonem* (a). Ergo & genealogus diplomaticus Actorum Murensium auctoritatem hic admittit, sed probatam sibi à suffragio diplomatum. Verum diplomata *hac in re* Actis suffragari non possunt; cum *hac de re* non loquantur: non possunt, inquam, de genealogia testari, quia de genealogia non agunt. Quid, quod ne nomen quidem Kanzelini prodant? At idem nomen est *Landolti* & *Kanzelini* (inquit P. Rustenus,) (b) nempe ut alibi Chunonis & Conradi (c) ipsi idem nomen est. Causam interserens, quod ex undecim Kanzelino contemporaneorum Allemañiæ Comitum nominibus, nomini Kanzelini nullum quoquo modo accedat, quam Landolti. Dixi *undecim*, cum Adversarius duodecim ponat: qua enim ratione inter Kanzelini, qui finiente sec. X. vixit, coætaneos locus sit Luithoni duodecimo, qui anno 929. recurrit? Porrò undecim illi Comites sunt Pirchtilo, quem ab año 968. usque 995. in Brisgovia; Conradus, quem ab anno 973. usque 997. in Mortenavia; Managoldus, quem anno 975. in Zurichgovia; Adalbertus, quem anno 972. in Rhœtia præfuisse legimus apud P. Herrgottum: porrò Odalricus, Hucbaldus, Richuinus, Gotefridus,

 Wol-

(a) Lib. II. cap. VIII. § I.
(b) Lib. II. cap. V. § XIV. & XV.
(c) Lib. I. cap. XII. per totum.

Wolfradus, Luttoldus, & LANDOLTUS, qui apud eundem P. Herrgottum in charta anni 972. occurrunt. An vero longe maximus longeque amplissimus Allemanniæ Ducatus undecim tantum Comitibus moderanda à Cæsare data fuit, ut Kanzelinus noster, nisi idem sit cum Landolto, inde tam expedite excludatur? Fingamus rem ita se habere: unde probatur, quod nullus horum Comitum, Comes *fundi*, omnes vero Comites *fisci* fuerint, adeoque quamdiu illi vixerunt, singulis Allemanniæ Comitatibus de singulis Comitibus ita provisum fuerit, ut nullus illorum pro Kanzelino vacaverit? Mittamus & hoc: unde certos nos reddet Adversarius, Comites illos, excepto Birchtilone & Conrado, quos, ut verum fateamur, usque ad adfectum penitus seculum X. superfuisse constat, tamdiu vixerint, quamdiu Kanzelinus: ut adeo huic in iisdem Pagis, quos illi regebant, nullus fuerit locus? Ponamus & hoc: ergone Kanzelinus necessario in Ducatu Allemanniæ quærendus est? Poterat utique in Ducatu Alsatiæ *comitivam* exercere. At heic docente Calmeto filii Eberhardi, filii Hugonis, longe lateque sese diffuderunt. Qui Calmeto objiciunt (a), quod ostendere nequeat, Eberhardum Hugonis filium matrimonium iniisse, ii nobis ex Calmeto objiciant, quod Eberhardi hujus filii in Alsatia longe lateque sese diffuderint? Concedamus autem Eberhardum filios reliquisse; quibus locis aut quibus verbis Calmetus affirmat, quod tu heic illi tribuis? nullo nec loco, nec verbo; quippe cum utrumque Eber-

har-

(a) Geneal. Diplom. lib. II. cap. IX. § IV. n. III. Anonym. Murens. Denudat. lib. II. cap. III. § VIII.

hardi filium laicum in Lotharingia demoratum fuiſſe diſerte dicat (a). Sed vixerint in Alſatia: ergone ampliſſimus hic Ducatus à Cæſare duobus duntaxat Comitibus demandatus fuit, ut Kanzelinus noſter inde excludendus videatur? demus & hoc: ergone Kanzelinus neceſſario aut in Allemannia, aut in Alſatia quærendus eſt? poterat ille Comitatum in minori Burgundia regere. At tempore Kanzelini (inquit P. Ruſtenus) (b) in Comitatu *Rore* Arnoldus præfuit. An vero in Burgundia præter Rorenſem nullus Comitatus? Comitatus Rore pars erat Pagi Argoviæ, Pagus Argoviæ pars Provinciæ minoris Burgundiæ: ergo præter Rectorem Comitatus Rore, alii aliorum minoris Burgundiæ Comitatuum Rectores enumerandi fuerant, antequam Kanzelinus inde excluderetur? adde, quod probari non poſſit, Arnoldum ullum ullibi rexiſſe Comitatum (1) &, ſi quem rexit, incertum ſit, an illum in Allemannia obtinuerit, an in Burgundia. Accedit, quod Arnoldus fortaſſis diu ante Kanzelinum obierit; ut adeo hic etiam eundem, quem ille Comitatum gubernare potuerit. Demus autem ſingulis & Allemanniæ, & Alſatiæ, & Burgundiæ Comitatibus beneficiariis de ſingulis Comitibus ita proviſum fuiſſe tempore Kanzelini, ut, niſi hic idem ſit cum Landolto, nullus ei vacaverit: quid tum? inde certe necdum conſequens eſſet, quod Kanzelinus idem fuerit cum Landolto, quia ille fortaſſis nullum rexit Comitatum, & Comes *fundi*

(a) Origine de la Maiſon de Loraine col. CCVIII. & CCXII.
(b) Cit. lib. II. cap. V. § XIV.
(1) Certe P. Herrgottus nullum illi aſſignare auſus eſt in Tabulis Prolegomeno V. inſertis.

tantum fuit, non Comes *fisci*. Sed transeat, Landoltum, qui in chartis P. Herrgotti, eundem esse cum Kanzelino, qui in Actis Murensibus occurrit: ex his tamen, non item ex illis discimus, qua stirpe ortus, quo patre natus, qua prole auctus fuerit; quippe cum illæ nudum ejus nomen, hæc insuper & stema & patrem & filium prodant.

III. Quo patre natus sit Kanzelinus, si & ex Abbate Tschudio & ex P. Herrgotto quæramus, eundem uterque assignat, Guntramnum scilicet Divitem. Tscudius (a) Anonymo Murensi nititur, cujus oraculum est: *Rogaverunt Kanzelinum filium Guntramni Divitis.* P. Herrgotto (b) *perspicua est res* ista *diplomatum auctoritate.* Quorum quæso diplomatum? unicum velimus videre, quo stemma Guntramni insinuetur? *Non sufficit* Genealogo Diplomatico (inquit Auctor Vindiciarum (c) *Guntramni nomen & opulentiam ex chartis eruere, sed oportet inde quoque stemma adstruere: Hoc demum Genealogi Diplomatici est.* Diplomata à P. Herrgotto allegata sunt sequentia: Duo pro Monasterio Einsidlensi circa medium seculum XII., & duo alia pro Monasterio Paterniacensi, sub ejusdem seculi finem data. Verum quid inde eruamus? nomen scilicet, & opulentiam cujusdam Guntramni; minime vero, quo stemmate is natus sit. *Quare habeat licet P. Herrgottus ex Diplomatibus suis nomen Guntramni, habeat etiam ejus opulentiam*; *confessa tamen & perspicua aliunde res non est*, qua ex familia oriundus fuerit Guntramnus *nisi ab auctoritate Actorum Murensium.* IV.

(a) pag. 5.
(b) Lib. II. cap. X. § VIII.
(c) Part. II. cap. I. pag. 208.

IV. Nec mihi usque inclames, quod quamquam chartæ P. Herrgotti Guntramni stem̃a non prodant, id tamen efficiant, ut Actuario illud prodenti fides habeatur: Quod (ut jam semel monuimus) ad fastidium usque repetit, unumque & totum est, quod nobis opponere novit Adversarius inverso arguendi modo: qua enim ratione Diplomata Actis suffragentur ea in re, qua de re illa omnia altum tenent silentium, hæc sola liquidum dicunt testimonium? Me judice homo homini in iis tantum fidem afferre potest, quæ quoquo modo & ipse asserit, non autem in iis, quæ omnimodo tacet. An alia apud te ratio monumentorum, quam hominum? Si cui adserenti, Clementem Papam XIII. genere Rezzonicum esse, fidem habere nolles, fidemne illi haberes, si Diploma produceret, nudum Clementis Papæ XIII. nomen referens?

Non es tam simplex, quam vis Callistrate credi, (a)

A pari ergo, quando Acta Murensia Guntramnum Divitem genere Habsburgicum esse dicunt, fatearis oportet, nullum illis pondus accedere ex eo, quod in Diplomate aliquo nudum Guntramni Divitis nomen deprehendamus, quin potius chartis tuis Acta Murensia lumen præferre. Adhuc unum. Si duo paris auctoritatis Scriptores inter se dissentirent, & alter stem̃ati Lenzburgico, alter Habsburgico insereret Guntramnum: age! an ex tuo Diplomate definire tibi liceret, pro utro veritas pugnet? im̃o ne quidem divinare. Agnosces ergo, Vir Clar.me! quod Diploma tuum Genealogum tam parum juvet, quam parum quinta rota (quod ajunt) currum juvat, & *nihilo plus* illi *indicet*, quam (quod Sophocles in simili dicebat)

(a) Martial. Epigr. lib. XII.

Charta quâ probatur Adalbertum Atavum Imperatoris Rodolfi I. fuisse Werneri Comitis ab Habspurg filium; adjunctis Historicis, & criticis notis Liberi Baronis Beati Fidelis Zur-Lauben, de Thurn & Gestelenburg, Equitis Regalis militarisque Ordinis S. Ludovici, Mareschalli Castrorum Christianissimi Galliarum Regis, &c.

Hæc Gallicè scripta Dissertatio mense Majo, 1764. Parisiis lecta fuit in Sessione Regiæ Academiæ Inscriptionum, & humaniarum Litterarum ab ipsomet Authore præfatæ Academiæ socio honorario-extraneo, ab eodemque Latinè reddita.







Lim ante ducentos annos multùm placebant fabulosæ Genealogiæ; si quidem Lazius (a) ipse observat suo adhuc tempore, scilicet A. 1555. omnes Germaniæ domos adeo se antiquas jactâsse, ut suam nobilitatem ad ævum Tropiani excidij extenderent. Quid? Sandovalus (b) enumeravit in Caroli V. cujus erat Historicus, Genesi centum & viginti Generationes ab Adamo usque ad illum Cæsarem. Miror hunc scriptorem fuisse omissum à Joanne Ludovico Schönleben (c) in examine viginti variarum de Origine Augustæ Domûs Austriacæ opinionum. Jam ante Vignierum Auctores (d) nonnulli suis in operibus eam proposuerant opinionem, quæ illius Domûs Originem refert ad Athicum Alsatiæ Du-

(a) De migrat. Gentium p. 845. Basileæ 1557. in fol. fig

(b) Historia de la Vida y Hechos del Imperator Carlos V. *Authore* Prudentio Sandoval, Obispo de Pampelona T. I. *initio*, Amberes 1681. in fol. fig.

(c) Dissertatio Polemica de prima Origine Domûs Habspurgo-Austriacæ, Laubaci 1680. in fol. *Opus Cæsari Leopoldo dedicatum.*

(d) Gebwilerus de Vita S. Odiliæ. Lazius de mig. Gent. Lib. VIII. p. 493.-496. Guillimannus Habsburg. l. I. c. III. p. 21 nova editio Tiguri 1737. in 8vò. Gabriel Bucelini Germ. sacro-profan. T. I. Geneal. fol. 21. & T. II. Hist. Agilolf. fol. 356.

cem, qui obierat circiter A. 690. Mihi autem non eſt Animus diſquirendi Vignerianum (a) Syſtema, juxta quod ab antiqua Alſatiæ Domo derivantur Lotharingicum, Auſtriacum, & Badenſe ſtemmata, quippe tale ſyſtema fuit ponderatum, plúsque vel minus approbatum ab Eccardo (b) Herrgottio (c) & Schoepflino (d) Hoc unicum obſervabo Auſtriacæ Domûs Genealogicos gradus à Guntramno divite Comite in Argoja, qui vivebat decimo Sæculo, usque ad Wernerum Othonis Comitis ab Habspurg filium, eſſe genuinos, teſtantibus Actis, & Hiſtoriâ Murenſis apud Helvetios Abbatiæ. Hæc verò Acta, quorum pleraque Originalia ſuperſunt, fuerunt ab Anonymo Monacho Murenſi, qui Hiſtoriam ſui Monaſterij exarabat circa medium 12. Sæculum, tranſcripta. Horum Actorum correctam editionem typis vulgavit 1750. ad calcem ſui inſcripti, operis (e) Vindiciæ Actorum Murenſium Fridolinus Kopp, Monachus & deinceps Abbas Murenſis Sacríque R. I. Princeps. In fronte horum Actorum adeſt Genealogia Comitum ab Habspurg, quæ videtur ſcripta à duobus Murenſibus Monachis, uno, veriſimiliter eodem, qui ſui Monaſterii Hiſtoriam compoſuit circiter 1150. altero autem, quem ſcrip-

(a) La veritable Origine des Maiſons d'Alſace, de Lorraine, d'Autriche, de Bade, &c. par le Pere Jerôme Vignier, Prêtre de l'Oratoire, Paris 1649. in fol.

(b) Origines Habsburgo-Auſtriacæ Auctore Joanne Georgio Eccardo. Lipſiæ 1721. in fol. *Opus Cæſari Carolo VI. dedicatum.*

(c) Genealogia Diplomatica Auguſtæ Gentis Habsburgicæ. Viennæ Auſtriæ 1737. in fol. fig. 3. Voluminibus. *Opus Cæſari Carolo VI. dedicatum.*

(d) Alſatia Illuſtrata T. II. p. 464. & ſeq. Colmariæ 1761. in fol. fig. Ejusdem Hiſtoria Zaringo-Badenſis T. I. Carolsruhae 1763 in 4tò. fig.

(e) In 4tò. fig. typis Principalis Monaſterii Murenſis. Hujus Operis Perilluſtris Auctor obiit Muris die 17. Auguſti 1757. ætatis 67. erat natus Rhenofeldæ, unâ è quatuor Civitatibus Sylveſtribus.

ſcripſiſſe credimus circa medium tertium decimum Sæculum. Quippe ex forma hujus (a) Genealogiæ judicatur eam fuiſſe conditam à duobus variis ſcriptoribus. Porrò autem in hac Genealogia datur Habspurgenſium Comitum unus Gradus, ſat obſcurè expreſſus, quem multâ Caligine obvelaverunt plures recentes Auctores, adeò ut Peireskius (b) Theodorus & Jacobus Godefroi (c) Antonius Dominici (d) Mabillonius (e) & Fredericus Hahnius (f) è textu hujus Genealogiæ concluſerint, Comitum ab Habspurg, Fundatorum Murenſis Abbatiæ, Domum, fuiſſe duodecimo Sæculo extinctam, in ſtemmate Comitum de Thierſtein, & conſequenter Imperialem Habspurgo-Auſtriacam Domum, per mares ſatam fuiſſe è Comitibus de Thierſtein, duntaxat autem per fœminas è Comitibus Habspurgenſibus, qui ſuum primum agnoſcebant Auctorem Guntramnum cognominatum *Divitem*, Comitem in Argoja Sæculo 10.[mò.]

Ecce! Genealogiæ Comitum ab Habspurg obſcurum textum! „ Iſta eſt Genealogia noſtrorum Principum. „ Theodricus Dux Lotharingorum, & Chouno Comes „ de Rinfelden fratres fuerunt; Horum ſoror fuit Ita „ Comitiſſa de Habspurg, Reperatrix hujus Murenſis „ Cenobij. Genuit autem Theodricus Gerhardum

)(3 „ Du-

(a) Genealogici quidem Gradus usque ad hæc Verba: *Idem Wernherus*, nominibus fœminarum deſignantur, Gradus autem ſequentes nominibus marium incipiunt

(b) Vita Peireskij Auctore Petro Gaſſendo. Pariſiis 1641. in 4tò.

(c) De la vraie Origine de la Maiſon d'Autriche, par Theodore Godefroi. Paris 1624 in 4tò De Jure Præcedentiæ, Part. I p. 73. Auctore Jac. Godofredo.

(d) Aſſertor Gallicus contra Chiffletium p. 164. Pariſiis 1646. in 4tò.

(e) Itiner. Germ. p. 24 & Analect lib. IV. p. 22.

(f) Hiſt. Imp. Germ. Part. II. Cap. VII. p. 265.

„ Ducem. Ille verò genuit Gerhardum de Egisheim
„ Patrem Vodelrici & Stephani. Chouno Comes de
„ Rinfelden genuit Ruodolfum Regem. Et ille genuit A-
„ gnetem Matrem Cuonradi Ducis. Ita de Habspurg
„ genuit Wernherum Comitem & Richenzam fororem
„ ejus de Lentzburg. Wernherus genuit Ottonem &
„ Itam de Tierftein. Otto genuit Wernherum & Adel-
„ heidem de Huneburg. Richenza de Lentzburg genuit
„ Arnoldum, Chouno Comitem, Wernherum de Ba-
„ den. Ruodolfus genuit Humbertum, Vodalricum,
„ Arnoldum, Ruodolfum & forores eorum. Arnoldus
„ etiam de Baden filius Richenzæ de Lentzburg genuit
„ Rihenzam de Chiburg. Ita de Tierftein, five Hom-
„ berg genuit Wernherum & Ruodolfum de Habspurg.
„ Idem Wernherus genuit Adelberctum, Gertrudem de
„ Mumpelgard, Richenzam de Fierrito. Alberctus per
„ Itam Comitiffam de Pfullendorff filiam fororis Ducis
„ Welph genuit Ruodolfum & Comitiffam de Lini-
„ gen, &c. „

Hic non fcrutabor quemque gradum in præfata Genealogia expreffum, folùm verò difquiram gradum Wernheri, qui filius Ottonis ab Habspurg Comitis, Fraterque Adelheidis de Huneburg, & Nepos Itæ de Thierftein, fuæ amitæ, quæ Comiti de Thierftein nupta fuerat, extitit. Genealogiæ quidem textus videtur hìc vitiatus. Etenim Anonymus illius Conditor fcripfit quibusdam Lineis inferiùs, *Itam de Tierftein, five Homberg, genuiffe Wernherum, & Ruodolfum de Habspurg.* Hos autem nominare debuiffet, *Wernherum & Ruodolfum de Tierftein, five Homberg*; Quippe nofcuntur è Chartis

Sæ-

Sæculi, quô Ita vivebat, (a) *Wernerus Comes de Tierstein* A. 1130. & *Rodolfus Comes de Tierstein* testis (b) Chartæ Capituli Turicensis A. 1114. Leguntur etiam *Wernherus Comes de Homberg* in Chartis (c) 1125. in gratiam Monasteriorum S. Blasij & Montis Angelorum traditis, & *Rudolfus Comes de Homberg*, testis Diplomatis (d) Argentinæ. VIII. Jdus Julij die 8. Julij 1144. à Conrado III. Rege Romanorum Monasterio Einsidlensi concessi. Castra *Thierstein* & *Homberg* sita ambo erant in Valle Friccensi, inter se vicina, alterum ab altero discernebat profunda Vallis. *Thierstein* in Parochia Frik (*) *Homberg* autem prope vicum Weitnau. Vrstisius (e) Basileensis Historicus Sæculi XVI. Genealogias Comitum de Thierstein & Homberg exaravit. Hæ verò duæ Familiæ nihil commune habebant in suis possessionibus cum Comitibus ab Habspurg. Eorum nomina, tituli, insignia, cum Habspurgensibus non eadem, imò dissimilima. Thiersteinenses Comites extincti 1519. Hombergenses verò jam desiverant, anno 1329. vel 1330. Notandum quoque est *Rudolfum Comitem ab Habspurg* nullâ occurrere Chartâ ante annum 1199. huncque fuisse

(a) Vrstis Chron. Basileens. L. I. c. V. p. XVII.
Joann. Henric. Hottinger T. VIII. Hist. Eccles. p. 1177. - 1178. Tiguri 1667. in 8vò

(b) Hottinger ibidem p. 1165. - 1168. Vrstis. ibid.

(c) Herrgott Geneal. Diplomat. Habsburg T. II. Codex probat. N. CXCIX. p. 139. & N. CCI p. 143. vide quoque N. CCXX. p. 165. - 167.

(d) Ægidij Tschudij Chron. Helvet. P. I. pag. 68. 69. Christophori Hartmanni Annales Heremi Deiparæ p. 205. Friburgi Brisgoviæ 1612. in fol. fig
Libertas Einsidlensis, inter Documenta p. 52. - 56. Einsidlæ 1640. in 4tò.
Herrgott Habsburg. T. II. Cod. Probat. N. CCXXIII. p. 170.

(*) Frikij Præfectus adhuc nominatur *Ballivus Hombergensis*, Germanicè, der Homberger Vogt.

(e) Chron. Basileense L. I. c. V. p. 16. & 35.

fuisse Comitis Adalberti filium atque adeò nepotem Wernheri, & cuncta Sæculi XII. Diplomata, quæ de *Wernhero Comite ab Habspurg* agunt, referenda ad *Wernherum filium Ottonis* Comitis *ab Habspurg, & Patrem Adalberti Comitis ab Habspurg. Idem :* Istud pronomen pertinet ad Wernherum filium Ottonis, cujus quidem mentionem fecerat quibusdam lineis superiùs Murensis Genealogus, sed cujus non designaverat posteritatem, etenim exprimere priùs voluerat sobolem *Richenzæ*, quæ illius Avi Paterni soror maritum Comitem Lenzburgensem habuerat, & Liberos illius amitæ Itæ, cum Comite de Thierstein seu ab Homberg nuptæ. Ista est explicatio verisimillima, fundatur etiam in duabus Chartis quarum una inserta Historico Anonymi Murensis textui, altera verò dedit nostræ Dissertationi ortum.

Ex Anonymo Murensi, qui scribebat circa medium Sæculum XII. constat, Ottonem Comitem ab Habspurg fuisse occisum die VII. Novembris, secundo anno post electionem Udalrici Abbatis Murensis, qui anno 1108. electus fuerat. Otto igitur trucidatus circa 1111. Genealogia autem in fronte Murensium actorum deducta, ait : *Comitem Ottonem genuisse Wernherum.* Monachus Anonymus, qui hæc acta redigebat circiter 1150, Chartam dedit, absque anni specificatione, sed scriptam tempore *Hermanni* Episcopi Constantiensis, & *Chunonis* Abbatis Murensis de dedicatione Ecclesiæ Bosvvilensis (a) (unâ Leucâ distantis à Murensi Monasterio) quæ ab illo Episcopo fuerat consecrata. Charta præfata fert : *Quandocunque plebanus scilicet Hupoldus novissimum clau-* *serit*

(a) Illius Ecclesiæ Collatio adhuc hodie pertinet ad Murensem Abbatiam.

ſerit diem, ſuperior Capella in Bosvvil tam firmiter ac ſtabiliter in poteſtate hujus Cenobij (Murenſis) *ſit, ut nec ipſe, qui Sacerdos futurus eſt hic, nec alius omnino ullam poteſtatem habeat, ut impleatur hec conditio, pro qua tradita eſt prius in Altare Sancti Martini ab Comite Ottone, Patre Wernheri Comitis de Habspurg.* Claret Hermannum fuiſſe ab A. 1139. usque ad ſuum obitum 1165. Conſtantienſem Epiſcopum, & Cunonem Abbatem Murenſem, hoc rexiſſe Monaſterium ab anno 1145. usque 1166.

Herrgottius Dedicationem Eccleſiæ Bosvvilenſis circiter 1145. factam fuiſſe æſtimat. Præfata autem Charta eſt unicum inſtrumentum, quo idem Author probavit, Wernherum Comitem ab Habspurg fuiſſe filium Ottonis occiſi circiter 1111. Doctus ille Benedictinus nullâ etiam probat Chartâ Wernherum Comitem ab Habspurg extitiſſe Patrem Adalberti, qui, ut patet in Authentico Diplomate, fuit Atavus Imperatoris Rodolfi I. Herrgottius ipſemet, quamvis pronus ad deprimendum teſtimonium Amborum Anonymorum Murenſium, ſæpè tamen ad illos coactus recurrit, præſertim ad ſtatuendam Adalberti Geneſin. Fruſtra enim Lectori ſagaci offert acta de *Wernhero* vel *Adalberto* Comitibus ab Habspurg agentia, nullibi hæc acta docent Adalbertum fuiſſe filium Wernheri, & conſequenter nepotem Ottonis Comitis ab Habspurg. Porrò autem niſi illud Inſtrumentum, noſtræ Diſſertationis ſcopus, detectum fuiſſet; nullum aliud ſubſidium extaret ad probandam Geneſin Adalberti, quàm Hiſtoricus Genealogi Muren-

ſis

ſis textus. Ipſemet Clar. Schoepflinus (a) de illo gradu ſolam hujus Anonymi Authóritatem allegavit.

Ecce Chartarum, quibus ſeparátim nominantur *Wernherus* vel *Adalbertus* Comites ab Habsburg, Chronologicas notas, quarum exordium ſumam ex actis in Diplomatico Herrgottij opere recenſitis.

Conradus III, Rex Romanorum tranſactione (b) terminavit die IV. Jd. Apr. A. 1141. litem inter Epiſcopum Baſileenſem, & Monaſterium S. Blaſij de Jure Advocatiæ motam; inter teſtes verò hujus Diplomatis, immediatè poſt Duces, & in fronte Comitum nominatur *Wernherus Comes de Habisburc.* Alio in (c) Diplomate ejusdem Conradi confirmantis Fundationem Salemitani Monaſterij, vulgò *Salmanſchwiler*, Conſtantienſis Diocefis A. 1142. adeſt teſtis Wernherus *Comes de Habechesburc.*

Habsburgenſes Comites fuère *Advocati*, ſeu Protectores Murenſis Abbatiæ. Herrgottius (d) ex illius Monaſterij ſcrinijs collegit Chartam ſcriptam circiter 1168, ratificatam ab Ottone Epiſcopo Conſtantienſi precibus *W.* Abbatis Murenſis & Comitis Adelberti Advocati præfati Monaſterij. Otto autem viguit Epiſcopus Conſtantienſis ab anno 1165. usque 1169, & Wernerus Abbas Murenſis rexit ab anno 1166. usque 1177. hujus Anniverſarium die VII. Aprilis in Necrologio Murenſi indictum. Albertus (*) Comes de Habesburg, Landgra- vius

(a) Alſatia Illuſtr. T. II. p. 472.
(b) Herrgott. Codex prob. Geneal. Habs. n. CCXX. p. 165. - 167.
(c) Herrgott. ibid. n. CCXXI. p. 167. - 168.
(d) Herrgott. ibid. n. CCXXVIII. p. 186. Dominic. Tſchudy Abbas Murenſ. Geneal. Habsburg. pag. 72. Eccard Orig Habs. prob. XLVI. pag. 243.
(*) Albertus ſeu Adalbertus unum & idem nomen.

vius Alsatiæ confirmavit (a) Fundationem Monasterij S. Trudperti à suis Antecessoribus in Hercynia sylva, Diocesi Constantiensi, peractam. Hæc Charta quæ data fuit Argentorati 1186, est sanè Antiquissimum Instrumentum, ut judicat Clar. Schoepflinus (b) quo Comes de Habspurg *Landgravij Alsatiæ* titulum assumpserat. Sigillum verò illius Chartæ offert Loricatum Equitem, qui dextrâ tenet nudum ensem, & sinistrâ clypeum *Leone Assilienti* decoratum, qui clypeus erat vetustum Habspurgicorum Comitum scutum; caput militis est casside, ferreis clathris septâ, tectum. Ecce circa scutum Inscriptionem : SIGIL. ALBERTI. COM. DE HABESBC. ET LANGRAVII. ALSACIE. Herrgottius (c) & Schoepflinus (d) hoc scutum sculpi curaverunt. Non est hìc omittendum *Venatorium* seu *Torneamentarium* Cornu in Cæsareo Wiennensi numismatum Gazophilacio conservatum, cujus Characteres Gothici taliter significant : NOTUM. SIT. OMNIBUS. CORNU. ITSUD. ASPICIENTIBUS. QUOD. COMES. ALBERTUS. ALSATIENSIS. LANTGRAVIUS. DE. HABISPURC. NATUS. SACRIS. RELIQUIIS. CORNU. ISTUD. DITAVIT. HEC. ACTA. SUNT. ANNO. M. C. XC. VIIII. Illud Cornu (e) Antiquitùs in Ecclesiæ Abbatialis Murensis Thesauro custodiebatur usque ad annum 1702. quô

 meus

(a) Herrgott. ibid. n. CCXLVII. p. 197. - 200.

(b) Alsatia Illust. T. II. p. 471. & 514.

(c) Genealog. Habs. T. I. p. 157.

(d) Alsatia Illustr. T. II. p. 512.

(e) Bollandistæ ære incidi curaverunt Murensi ferè simile formâ Cornu in Abbatia Ninoviensi apud Belgas custoditum, quod anno 1171. elaboratum Reliquiis Sanctorum Cornelij & Cypriani ornatur. Acta Sanctorum Septembris Tomus IV. Antuerpiæ 1753. in fol. p. 772.

meus Propatruus (*) Abbas Murensis, nuper à Cæsare Leopoldo I. ad fastigium Principis Sacri R. I. promotus, Gazophilacium Augusti Principis sui Benefactoris præfato Monumento ditavit. Hoc Cornu Eburneum æri incidi curaverunt Clar. Schoepflinus (a) & jam ante illum Fridolinus Kopp (b) Princeps-Abbas Murensis.

Offert illud sculptum venatorem, qui lanceam vibrat in cervam à cane lacessitam. Idem Doct. Schoepflinus (c) alia duo sigilla Alberti Comitis *de Habesburc* & Landgravij Alsatiæ exhibuit, quorum unum cohæret Chartæ Abbatiæ Engelbergensis anno 1199. scriptæ. Porrò autem Herrgottianis Chartis quæ nihil statuunt de *Filiatione* seu Genesi Werneri & Adalberti Habspurgensium Comitum, addamus quædam alia documenta ab illo Erudito Monacho non relata, quibus tamen insunt nomina prædictorum Comitum.

Beringarius seu *Berengarus Comes Habsburgi* adfuit cum Theodorico Comite Montis bellicardi, anno 1122. pacificæ transactioni (d) inter Calixtum II. summum Pontificem, & Henricum V. Romanorum Imperatorem. Vox *Beringarij* vel *Berengari* significat hoc in Diplomate *Werinharium* seu *Werenharium*: Conradi III. Regis Roma-

(*) Placidus Liber Baro de Thurn & Gestelenburg-Zur-Lauben.
(a) Alsatia Illust. T. II. p. 499. & 512.-513.
(b) Vindiciæ Actorum Murensium p. 157. & 287.
(c) Alsatia Illust. T. II. p. 499. & 512.
(d) Buchelij notæ ad Hedam.
Guillimanni Habsburgiaca p 237-238. nova Editio Tiguri 1737. in 8vo.
Gallia Christ. vetus T. I. p 831.-832 Lutetiæ Parisiorum 1656. in folio.
Jean du Mont Corps Diplomatique T. I. P. I. p. 66. Amsterdam & la Haye, 1726. in folio.

manorum Diploma (a) in gratiam Monasterij Corbejensis (Corvvei in Germania) anno 1150. Spiræ datum offert inter testes *Frithericum Ducem Sueviæ & Alsatiæ, Herimannum Marchionem de Bathen, Wernherum Comitem de Haveklesperch* (incuriâ Amanuensium pro *Habesburg*) *Othelricum Comitem de Lenzemburch*. Legendum quoque foret *Lenzenburg* seu *Lenzburg*. Hujus nominis Comites vicini erant & consanguinei Habspurgensium Comitum.

Quarto Idus Julij 1153. concessit Diploma (b) in gratiam Monasterij Eristein prope Argentinam Fridericus I. Rex Romanorum, præsentibus Burcardo Episcopo Argentinensi, & pluribus Imperij Magnatibus, quos inter Wernerus Comes de *Havegesburgk*, Hugo Comes de *Turingen*, & Ludovicus Comes de *Werdeneberg*. Horum optimatum primus erat Comes de *Habesburg*, alter de Tubingen, tertius autem de Werdenberg, omnes Comites per Helvetiam & Sueviam Dominijs pollentes.

In Antiquitatibus Viennæ (c) à Joanne de Bosco descriptis, & in Historia Delphinatûs, cujus Auctor Clar. Valbonnais (d), Diploma Frederici I. Regis Romanorum in gratiam Hugonis Archi - Episcopi Viennensis concessum, *datum Garnaciæ* (id est Wormaciæ) 1153. anno verò secundo Regni ejus Principis, *eadem die, quâ Arnaudus Cancellarius Regis fuit electus Moguntinensis Archi-*

)( )(3 *Epi-*

(a) Don Martene Collectio veterum scriptorum & Monumentorum Historicorum T. II. p. 607. - 610. Parisiis, 1714. in fol.

(b) Guilliman Habs. p. 262. (Besoldi Thesaur. Pract. T. I. p. 73.)

(c) Pag. 84. - 85 Lugduni 1605. in 8vò. cum Bibliotheca Floriacensi.

(d) T. I. p. 138. Genevæ 1722. in fol. fig.

Episcopus. Inter testes astitère *Duces Fridericus Regis Conradi Filius Sueviæ & Alsatiæ, Henricus Saxoniæ, Henricus Bavariæ, Bertaudus* (a) *Brisgoviæ* (id est Bertolfus de Zeringen Dux Brisgoviæ) *Olricus Comes de Lausceborg* seu Lantzborg (pro Lenzburg) *Garnerius Comes de Badana* (qui aliàs Wernerus Comes de Badena in Argovia occurrit initio illius Chartæ, quæ integra dabitur in fine hujus Dissertationis): Testis qui Garnericum Comitem de Badana sequebatur in Fridriciano præfato Diplomate appellabatur *Garnericus Comes de Alsatia :* Hic sanè fuit Wernerus Comes de Habspurg, Pater Adalberti, Landgravius seu Comes Provincialis Alsatiæ, quippe difficile est attribuere alteri Wernhero, quàm Comiti de Habspurg illud nomen, quod legitur in fine prædicti Diplomatis. Atqui Clar. Schoepflinus (b) illam Chartam non novit, enumeravit quidem superioris Alsatiæ Comites vel *Landgravios* è Habspurgensi prosapia procreatos, & ante Albertum Comitem de Habspurg anno 1186. Alsatiæ Landgravium, inscripsit hujus Avum Ottonem anno 1111. occisum, quem *Comitem de Alsatia*, Vetus Einsidlense Necrologium nominat. Idem Clar. Vir dedit Ottoni successorem in Comitatu superioris Alsatiæ hujus fratrem Adelbertum Comitem de Habspurg, qui absque prole 1140. obijt, & qui consequenter extitit Propatruus Adalberti Filij Comitis Wernheri. Similiter Comites inferioris Alsatiæ è Domo Comitum de Dags-

(a) Clar. Valbonnais legit : *Bertoudus Dux Brisgoandiæ, Comites, Olricus de Lantzborg, Galnerius de Bada, Galnerius de Alsacia - - Datum Garnacie (pro Wormacie) eadem die qua Arnaudus Cancellarius Regis fuit electus in Mogunt. Archi-Episcopum.*

(b) Alsatia Illustr. T. II. p. 498.-499.

Dagsburg, diu (a) usi sunt titulo *Comitis de Alsatia*, plurimis annis antequam assumpserunt qualitatem *Landgravij* seu *Comitis Privincialis*, cujus dignitatis etymologia oritur è duobus Teutonicis verbis, *Land*, Regio, & *Grave*, Comes. Probatum est Comites de Habspurg, qui simul erant superioris Alsatiæ Landgravij, sæpe gessisse titulum *Comitum de Habspurg*, sine denominatione *Landgraviorum Alsatiæ*; aliquantisper quoque se ipsos signabant *Comites Alsatiæ*, absque præliminari titulo *Comitum de Habspurg*; vergente autem ad finem XII.mò. Sæculo tandem assumpserunt illi ambos titulos.

Clar. Valbonnais (b) retulit in sua Delphinatûs Historia Imperatoris Friderici I. Diploma *datum apud Castrum Reverul* Idus Januarij 1155. in gratiam Guidonis Delphini & Comitis Gratianopolitani. Inter testes adfuerunt *Vlricus Comes de Lenzebierch* (id est Lenzburg in Helvetia) & *Warnerus Comes de Havesburch* (hoc nomen est hic vitiosum, legendum esset Habesburch.)

Datur in fine Actorum Murensium donatio Comitis *Adelberti* in gratiam hujus Monasterij. Hæc quidem Charta absque anni Epocha, sed ea concernit Adelber-

ctum

(a) *Sigbertus Comes de Alsatia*, adest in Diplomate Lotharij III. Romanorum Regis Basileæ die VIII. Idus Febr. 1130. dato, quod videre est apud Joann. Henricum Hottinger Hist. Eccl. T. VIII. p. 1177. - 1178; qui Sigbertus Comes inferioris Alsatiæ obijt 1150. de illo agit Clar. Schoepfflinus Alsatia Illust. T. II. p. 520.

Hugo Comes de Alsats nominatur in Charta 1153, quam legere est apud Spon *Histoire de Geneve* T. II. p. 10. - 13. Genevæ 1730. in 8vò. fig. Qui Hugo erat filius Folmari Comitis Metensis, & de *Dagüburg*. Illius mentionem facit Erudit.mus Schoepfflinus Alsat. Illust. T. II. p. 486. - 487.

(b) Preuves T. I. p. 93. Geneve 1722. in fol. fig.

ctum Comitem de Habspurg. Illorum Actorum finis recentiori exaratus manu, quàm Anonymi, qui primam circa 1150. redegerat partem. Porrò autem iste secundus Continuator primi erat Anonymi contemporaneus. Murense Necrologium ad diem XXV. Novembris 1199. ponit mortem Adelberti Comitis de Habspurg, Landgravij Alsatiæ, cognominati *divitis*.

Illius Chartæ 1153. quæ probat Adalbertum fuisse filium Werneri Comitis de Habspurg, nunc daturi sumus synopsin; quæ Charta Eccardo, Herrgottio, & Schoepflino ignota, non tamen latebat Joan. Henricum Hottingerum Turicensem, qui vir Doct. longum hujus Acti fragmentum *in Speculo* (a) *suo Helvetico-Tigurino* anno 1665. inseruerat. Cujus Chartæ quæ Turici in scrinijs Abbatiæ Benedictinarum servatur, integram obtinuimus descriptionem. Hæc Abbatia, nunc sæcularis Potestatis, fuerat olim condita à Ludovico Germanico Imperatoris Ludovici Pij filio, illiusque Parthenonis Abbatissa, sacri R. I. Principissa, monetandi jure gaudebat, plurima per æva antequam Turicum illo potiretur privilegio. Eam autem Chartam 1153. ex Originali suo transcripsit Erudit.mus Erhardus *Dursteler*, ex *divis* Parochus Horgensis Pagi ad Lacum Turicensem, & in vasta sua (b) Actorum Turicensis Abbatiæ collectione inclusit, qui senex octogenarius Patriæ Historiæ indefessus à teneris unguiculis indagator, suis Litterarijs

nos

(a) Ille liber Antiquitatum Turici typis rursus fuit datus 1737. fragmentum illius Chartæ 1153. adest pag. 233. hac in recentiori editione.

(b) Acta Abbatissana p. 32.-33. in fol.

nos ditavit thesauris, quos inter descriptio illius Chartæ cujus extractum modò daturi sumus.

Wernherus Comes de Baden à Mechtilde Thuricensis Parthenonis Abbatissa obtinuit potestatem in agriculturam convertendi quoddam incultum prædium in monte qui vulgò Albis dicitur (Thuricum inter & Tugium) hoc pacto interposito, ut quemdam annuum censum præfatæ Abbatiæ persolveret, *& nisi forte ex legitima conjuge liberos gignere illum contigerit*, integra hujus prædij possessio ad prædictum devoluta foret Monasterium. Qui Wernherus Comes de Baden hac in Charta mentionem suorum Fratrum, sed generalibus verbis, egit, & annuli sui impressione hanc cautionem signavit, *Thuregi in loco Imperialis Palatij, anno Dominice Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo tertio, Indictione prima, III. Kal. Junij, feria septima, Regnante Serenissimo Rege Friderico, secundo anno Regni ipsius*, testibus Chunone Fratre præfati Comitis Wernheri, Adalberto filio Wernheri Comitis de *Habespurch*, Waltero de *Rotenburch*, & Waltero de *Heschibach*, cæteri autem testes erant Ministeriales ejusdem Comitis Wernheri de Baden, & multi *Thuregienses Burgenses*. Talis synopsis illius Chartæ, cujus exemplar Topographicis, & Genealogicis illustratum notis ad calcem hujus Dissertationis offeremus. Epochæ sunt genuinæ. Fridericus Aenobarbus Sueviæ & Alsatiæ Dux fuerat electus Romanorum Rex Francofurti V. Martij 1152, & Aquisgrani Coronatus die Dominica *Lætare*, eodem anno, ut testatur Otto Frisingensis (a) in hujus Cæsaris Vita;

)()()(alter

(a) De gestis Friderici l. II. c. III. p. XXIII. b. Argentorati 1515. in fol. idem Chronic. l. VII. c. ult. p. XC. ibid.

alter igitur illius regni inceperat annus die V. Martij 1153. Paſcha autem hujus anni die XIX. Aprilis occurrebat; Indictio *prima* eſt vera. Wernherus Comes de Baden nominatur eadem in Charta *Legitimus Advocatus*, quippe ille erat nomine Imperii *Advocatus* ſeu *Protector* Thuricenſis Civitatis. Extat apud Herrgottium (a) Charta Thuregi data die VIII. Decembris 1155, munita autem ſigillo Warnheri *Marchionis & Advocati de Baden*, quâ confirmabatur quædam donatio Monaſterio montis Turicini facta die octavâ Decembris eodem anno 1155. præſente Comite & Advocato Warnhero (b) de Baden & fratre ſuo Chonone.

Niſi propter obſervationum prolixitatem diſplicere metuerem, ſcrutarer originem tituli *Marchionis* Wernhero Comiti de Baden conceſſi, & forſan demonſtrarem, hunc tali prærogativa gaviſum ob Marchiam Tuſciæ, vel alicujus alterius tranſalpinæ Provinciæ, cujus præfecturam à Cæſare obtinuerat. Siquidem Ulricus Comes de Lenzburg, natu major frater Wernheri titulo *Marchionis* uſus fuerat. Etenim in Necrologio (c) Beronenſis Capituli quo recenſentur nomina Comitum de Lenzburg Fundatorum & Benefactorum illius Eccleſiæ Argovienſis, legitur die VIII. Octobris ſequens Anniverſarium, *Ulricus bonus & ſummus Marchio obiit VIII. Octobris.* Agitur etiam de *Vlrico*, vel *Udelrico* ſeu *Uodelrico Marchione de Tuſcia* apud Ottonem Friſingenſem

(a) T. II. n CCXXXI p. 178.
(b) Herrgott. T. II. n. CCXXIV. p. 172. tranſcripſit Chartam XXIX. Octobris 1145. de Monaſterio montis Turicini, in eo Inſtrumento legitur: *Confirmatum in fiſco Turegienſis Aulæ, ſub Comite Wernhero, ipſo preſidente.*
(c) Herrgott. T. III. p. 850.

sem (a), Ammiratum (b), Franciscum Fiorentini (c) Scriptorem Vitæ Celebris Comitissæ Mathildis, & apud Colletum (d) Italiæ Sacræ Editorem, qui Historici scripserunt ab illo Vlrico *Marchione* Tusciam fuisse rectàm ab anno 1139. usque 1149, & nonnulla acta de illo agentia dederunt. Otto Frisingensis (e) ait: Hunc Ulricum bellum gessisse contra Siennenses.

Warnherum Marchionem & Advocatum de Baden è linea Hachbergensi retulerat Herrgottius. (f) Verùm illius nullam fecit mentionem Schoepflinus in Diplomatica Marchionum Badensium Genealogia.

Joannes Baptista Wieland Monachus Murensis posthumum reliquit opus cujus titulus: *Vindiciæ Vindiciarum* (g) *Koppianarum ac proinde etiam Actorum Murensium*; His Vindicijs protegitur eruditum opus Principis Abbatis Murensis Fridolini Kopp, solidè refutantur novæ à Patre Rusteno Heer, Monacho San-Blasiano, Herrgottiique Collega, *in suo Anonymo* (h) *Murensi denudato*, vibratæ objectiones. Diplomaticam etiam Genealogiam Argoviensium Comitum de Lentzburg & Baden eodem in opere Wielandus inseruit, quâ adversus Herrgottij Systema probavit illos Comites ex una eademque domo, quæ Satorem agnoscebat Comitem de

)()()(2 Lenz-

(a) Chronic. l. VII. c. XXIX. p. LXXXIII. b. Vrsperg. Chron. ad ann. 1152.
(b) Lib. I. p. 53. ad ann. 1144.
(c) Memorie di Matilda la grand Contessa p. 349. in Lucca 1642. in 4tò. fig.
(d) T. V. p. 63.
(e) Lib. VII. c. XXIX.
(f) Geneal. *Diplomat. Habsburg. Vol. III. in Tabula nominum quæ extat ad Calcem.*
(g) Illius Operis Auctor, Rhenofeldâ unâ ex quatuor Civitatibus Sylvestribus, oriundus, obijt Muris die 22. Novembris 1763. ætatis 32.
(h) Friburgi Brisgoviæ 1755. in 4tò. fig.

Lenzburg, & Baden, Avum Arnoldi Comitis de Baden & Lenzburg qui furat anno 1050. maritus Richenzæ Comitissæ de Habspurg, fuisse ortos. Hac quoque in Genealogia allegavit (a) Chartam XI Augusti 1127. agentem de Abbatia Schennis, quo Instrumento patet Wernherum Comitem de Baden tres habuisse fratres, Vdalricum & Arnolfum, suos natu majores, & Chunonem natu minorem. Wernherus ille idem qui cum suo fratre Chonone memoratur in Charta 1153. quæ Genesin Adalberti Comitis de Habspurg clarè deducit.

Necesse erat istas notiones præferre, his enim gravior additur authenticitas Instrumento 1153.

Porrò autem Dissertatione finem constituemus observando, auxiliantibus Murensibus actis Genealogiam Comitum de Habspurg esse probatam à Guntramno qui sæculo X florebat usque ad Wernherum filium Ottonis Comitis de Habspurg; Detecto autem Instrumento 1153. absolutè patefieri Adalbertum Comitum de Habspurg fuisse filium Comitis Wernheri, & vigore (b) unius Di-

(a) Clar. Wielandus tamen ignoraverat Instrumentum 1153. ad Calcem nostræ Dissertationis relatum, & Diploma Conradi III. Regis Romanorum datum Spiræ die Nonas Jan. 1146. & à pluribus editum Authoribus, (*) quo in Diplomate inter testes recensentur, *Udalricus Comes de Lenceburg & Warnherus frater ejus.*

Illud autem Instrumentum concernit Advocatiam Monasterij S. Maximini Trevirensis, in scrinijs hujus Abbatiæ servatum.

(*) André du Chesne Preuves de l'Histoire de la Maison de Luxembourg, pag. 41. Paris 1631. in fol. fig.

Gallia Christ. vetus, opus fratrum Gemellorum Scævolæ & Ludovici Sammarthanorum T. I. p. 727. - 728. Lutetiæ Parisiorum 1656. in fol. fig.

Tolner pag. 46. Codice probation

Histoire Diplomatique de Treves T. I.

Don Calmet Hist. de Lorraine T. II p. 326. & suiv.

Le Pere Bertholet Histoire de Luxembourg T. IV. Preuves p. XII. - XIII.

(b) Herrgott. T. II. n. CCCCXXII. Fridolin. Kopp Vindic. Actor. Muren. pag 284. & seq.

Diplomatis Wettingensis (præter alias Chartas,) constare gradus Genealogicos ab Adalberto præfato usque ad Cæsarem Rudolfum I. etenim hac in Charta anno 1259. data Rudolfus Comes des Habspurg, Landgravius Alsatiæ, deinceps Romanorum Rex, memorat suum Patrem Comitem Albertum, Avum Comitem Rudolfum, & Atavum Comitem Albertum.

Sat firmè sperandum nobis est ex nostra Dissertatione agente de Genealogia AUGUSTÆ DOMUS per orbem terrarum tam claræ, & potentis, plena argumenta deducenda, videlicet, quodsi olim Godefredi & Blondellus quâdam caligine adumbrare conati fuerint Genesin Comitum de Habspurg, qui Satores extiterant unius Gentis, quæ decem & sex Cæsares Germaniæ peperit, illorum scriptorum amara dicta non semper emersisse è principio rivalitatis, quæ tunc temporis inter ambas Principes Europæ Nationes ardebat. Quippe illi docti viri non viderant omnia acta, quæ post eorum excessum fuerunt edicta ab Eccardo, Herrgottio, & Clar. Schoepfflino, multò minus illud Instrumentum 1153. nostræ Dissertationis præcipuum scopum. Unde non mireris ex defectu probationum de quibusdam Gradibus Majorum Cæsaris Rudolfi I. ortas fuisse varias objectiones, quibus extranei Genealogi Antiquitatem Habspurgicæ Domûs minuere nisi sunt. Minimè autem dubitandum est illius nominis Comites suosque Majores extitisse Magnates præpotentes, Imperiique Principes pluribus Sæculis antequam Rudolfus I. illorum Nepos anno 1273. Romanorum

Rex fuit electus, fatendumque, si ille Cæsar (a) Capitulo Cisterciensis Ordinis taliter scripsit: *Attendentes quod manus Altissimi de tam humilis loci Tugurio, ad tam celsa, tam fastigiosa Palatia nos provexit.* Hæc verba signa esse modestiæ ac pietatis, summo Principe dignissimarum virtutum, quæ natalium splendori nullam obijciunt umbram.

(a) Abbas Joannes Seifridus in Arbore Aniciana.
Didacus Lequile in Annal. & Actis pietatis Augustiss. Domûs Habspurgo-Austriacæ Part. prima p. 69. Oeniponti 1660. in fol. fig.
Le Gentre Marquis de Saint Aubin, Antiquités de la Maison de Françe, pag. 402. Paris 1739. in 4tò.

CHARTA 1153.

In nomine Sancte & Individue Trinitatis.

Notum sit omnibus Christi Fidelibus tam futuris quam presentibus. Qualiter ego Wernherus Comes de Baden apud M. (a) Abbatissam Cenobij Sanctorum Martyrum Felicis & Regule honestis precibus impetravi, ut quoddam predium in monte qui vulgo Albis (b) dicitur, situm, a prefato Cenobio juste & legaliter eo die inter cetera predia possessum, antea quidem incultum excolerem, & humanis usibus aptum redderem, & quasi nemorosum & silvestre ratione Novalium in Agriculturam converterem hoc pacto immutabiliter interposito, ut decem solidos Thuregensis (c) monete & pellem cervinam loco census pro perceptis inde fructibus Abbatisse annuatim persolverem. Hoc autem precipue fieri sperans in remissionem peccatorum meorum & ad salutem anime mee profuturum, si hoc faciens conditionem prefati Monasterij meliorem redderem. Nihilominus mea

Au-

Auctoritate constituens ne quisquam fratrum (d) meorum vel quilibet propinquorum mei sanguinis jam natus vel adhuc nasciturus post obitum meum aliquod jus successionis pretendens predicto feudo meo aliquo ingenio, quasi meo nomine manum imponere presumat, sed post obitum meum cum cunctis que ibidem reperta fuerint, in animalibus, in edificijs vel in quacunque suppellectile cum omni jure, quo a me vivo possessa fuerunt, libera & absque contradictione ad Jus & Dominium prefati Monasterij pertineant, nisi forte ex legitima conjuge liberos gignere me contigerit. Et ut nostra Constitutio futuris temporibus firme Auctoritatis robur obtineat, hanc cautionem annuli nostri impressione signavimus.

Ego vero Wernherus vice notarij recognovi, anno Dominice Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo tertio, Indictione prima, III. Kal. Junij feria septima, regnante Serenissimo Rege Friderico, secundo anno Regni ipsius, prescripto Comite Wernhero legitimo existente (e) Advocato. Testibus subscriptis presentibus: Chunone (f) fratre Comitis, Adalberto filio Comitis W. de Habespurch, Waltero de Rotenburch (g) Waltero de Heschibach (h) Ministerialibus (i) verò ejusdem Comitis W. de Baden, Henrico de Arnestovv (k) Hartmanno de Beinvvilare (l) Thuregiensium verò Burgensibus (m) his scilicet, Henrico Tribuno, Rudolpho Monetario, Rudolpho Thelonеario, Purchardo nigro, Rudolpho Platino, Rudolpho Decimario, Adelberone Wallo, Purchardo Albo, Udalrico Chasto, Ottone, Udalrico, Purchardo Schiphilinis, Rudolpho de Novo foro, & W. fratre ejus, Henrico de Stadelhoven, Herberhardo de

Ru-

Rumelanc, Herberhardo de Mure, Udalrico filio Thucde, Udalrico filio Orthliebi. Actum autem est Thuregi in loco Imperialis Palatij (n) feliciter. Amen.

NOTÆ.

(a) *M.* hìc significat *Mechtildem*, quæ aliàs Appellatur *Mathildis Abbatissa* in Charta 1145. apud Hottinger (Speculo Tigur. pag. 232.) quæ agit de Conrado Duce Zeringiæ, & Wernhero de Baden Advocato Prefecto Thuregi.

(b) Pagi Thuricensis mons, inter Thuricum, & Pagum Tugiensem situs juxta quem fluit ad Orientem fluvius *Sila*, *Sil.*

(c) *Zurich* nominatur in Inscriptione Romana, *Statio Turicensis*, hoc monumentum in ipsa civitate Zurich effossum, illic servatur in publica Civium Bibliotheca. Anonymus Geographus Ravennatensis qui Seculo VII. vivebat memorat *Zuriuhi.* Acta recentioris ævi nomina Zurich, *Thuricum*, *Duregum*, *Thuregum*. Glareanus autem fuit primus qui Sæculo XVI. hanc civitatem appellaverit *Tigurum.* Qui Poëta opinabatur Zurich fuisse caput *Pagi Tigurini* de quo apud Cæsarem. Verisimile est à Romanis nominatam fuisse, *Tigurinam* quamdam Gentem quæ revera appellabatur, *Turigini.* Hoc constat, *Zurich* in suis monetis anno 1512. cusis sumpsisse *Titulum Civitatis Thuricensis.*

(d) Wernheri fratres scilicet *Udalricus* & *Arnolfus* natu majores, & *Chuno* natu minor notantur in Charta Abbatiæ Schennis, data 11. Augusti 1127. apud Ægidium Tschudium *Chron. Helv. P. I. p. 61. ad ann.* 1127. & apud Marquardum Herrgottium *Geneal. Habspurg. T. II. n. CCIX. p.* 152.

(e) Thurici Præfectus vel Gubernator Imperialis, erat simul *Advocatus* vel *Protector* Capituli SS. Felicis & Regulæ & Abbatiæ Benedictinarum illius Civitatis. Vide Hottinger. *Specul. Tigur. pag.* 22.-23.

(f) Comitis Wernheri frater Chuno nominatur in Charta Abbatiæ *Schennis* de anno 1127 & in quadam alia Charta die VIII. Decembris 1155. data quæ extat apud Herrgott.

(g) Barones Rotenburgi inter alias ditiones possidebant Castrum sui Cognominis in Pago Lucernensi. *Arnoldus de Rotenburch Dapifer* Conradi III. Regis Romanorum memoratur in Diplomate dato Spiræ 1150. in gratiam Corbejensis Monasterij. Wernherus Comes de *Havek'esperch* (Habspurg) & Othelricus Comes de *Lenzenburch* ejusdem erant Diplomatis testes; extat id Instrumentum *in Collectione Domni Martene T. II. pag.* 607.-610. *Parisiis* 1724. *in fol.*

(h) Liberi Barones *ab Eschenbach* affines Comitum de Habspurg, Fundatores Abbatiarum *Cappel* & *Frauenthal* Cisterciensis Ordinis, præpotentes per Helvetiam dynastæ, quorum ultimus fuit proscriptus conscius conspirationis, quæ Cæsari Alberto I. vitam abstulerat. Waltherus de *Eschibach* cujus mentionem dat Instrumentum præfatum 1153. occurrit iterum in Charta XXIX. Augusti 1187. apud Herrgott. *T. II. Geneal. Habsp. n. CCL. pag.* 201. (i) In-

(i) Inter ministeriales suæ domûs habebat Wernherus Comes de Baden multos nobiles Illius nomen est hìc per abbreviationem expressum, *Ministerialibus verò ejusdem Comitis W. de Baden.* In fronte hujus Instrumenti nominatur sine abbreviatione *Wernherus Comes de Baden.* Hæc observatio probat litterâ *W.* designari *Wernherum Comitem de Habespurch*, ubi dicitur in Charta, *Adalberto filio Comitis W. de Habespurch.*

(k) *Aristauw* seu *Aristow*, hodie Pagellus Parochiæ Murensis cujus *Bassa* Jurisdictio ad Abbatiam Murensem pertinet. Nobiles ab Aristow multas 1321. fecerunt donationes Parthenoni Benedictinarum in Hermetschwil. Vide Clarissimi Leu Consulis Thuricensis Reipublicæ Historicum Helvetiæ Lexicon T. I. pag. 338. - 339. &c. Zurich 1747. in 4tò. Germanicè.

(l) Nobiles à *Beinwil* seu *Beywil* numerati inter Benefactores Monasterij *Wettingen* Cisterciensis Ordinis in Argovico Badenæ Comitatu. Vide *Necrologium Wettingense* apud *Herrgott. Geneal. Habsb. T. III. pag.* 840.

(m) Thuregiensium Burgensium nomina de quibus Instrumentum 1153. pleraque repetita in Charta VIII. Decembris 1155. apud *Herrgott. Geneal. Habsburg. Vol. II. n. CCXXXI. pag.* 178. Ferè omnes illi erant orti è Gentibus Nobilibus seu Patritijs illius civitatis, quarum Genealogica excerpta dantur *in memorabilibus Tigurinis Auctore Bluntschlio Zurich* 1742. *in 4tò fig.* Et in Historico Helvetiæ Dictionario, Auctore Clarissimo Leu, Consule Thuricinæ Reipublicæ. Præfatum autem Instrumentum nominat: *Purchardum nigrum*, Germanicè *Schwarz*, *Purchardum album*, Germanicè *Wyss*, *Burchardum Saphiligini* vel *Schiphilini*, Germanicè *Schæffli*, seu *Schifflein*, *Oudalricum filium Orthliepi*, Germanicè *Ortlieb*, vigebant tunc temporis Thurici inter præcipuas familias, *Zunfftmeister*. Latinè *Tribuni*, *Münzer*, Latinè *Monetarij*, *Zoller*, Latinè *Thelonearij*, *Platini*, Germanicè *von Platten*, *Zechender*, Latinè *Decimarij*, *Wallo*, *Casto*, vel *Castor*, Germanicè *Biber* seu *Piber*, *de novo foro*, Germanicè *von Nümarckt*, *de Stadelhoven*, *de Rumlang*, *de Murj.* Extat apud Hottingerum Specul. Tigur. p. 234. Charta quæ agit: *de Eberhardo de Rumlang*, Henrico *de Stadelhoven*, & de Rudolfo *de Novo Foro.*

(n) Imperiale Palatium seu Castrum, Præfectorum habitatio situm erat Thurici in foro hodie dicto: *Lindenhoff.* Eberhardus Episcopus Constantiensis illius Castri mentionem egit in Charta 1271. scripsitque illud à tempore immemoriali cum Capella sua Imperiali annexa fuisse destructum. Vide Hottingeri Specul. Tigur. pag. 204. Porrò autem Charta anni 1153. Scopus hujus Dissertationis, non fert, actum Thuregi in Imperiali Palatio, sed in loco Imperialis Palatij.



ERRATA.

Pag. III. lin. 6. & 7. Tropiani, *lege*, Trojani
Pag. VI. lin. 2. Stephani, *lege*, Sthephani
Pag. eâdem lin. 12. Richenzæ, *lege*, Richenze
Pag. eâdem lin. 17. Pfullendorff, *lege*, Pfullendorf
Pag. VII. lin. 7. *dele* dic 8. Julij
Pag. VIII. lin. 7. Superiàs, *lege*, Superius
Pag. XIII. lin. 15. Turingen, *lege*, Thuingen
Pag. XIV. lin. 8. Garnericum, *lege*, Garnerium
Pag. eâdem lin. 10. Garnericus, *lege*, Garnerius
Pag. eâdem lin. 29. Mogunt, *lege*, Mongunt
Pag. XVI. lin. 23. ex divis Parochus, *lege*, Ex-Parochus
Pag. XVII. lin. 25. & 26. Uodelrico, *lege*, Uodolrico
Pag. XX lin. 2. furat, *lege*, fuerat
Pag. eâdem lin. 9. Chonone, *lege*, Chunone
Pag eâdem lin. 22. die, *lege*, pridiè
Pag. XXI. lin. 19. edicta, *lege*, edita
Pag. XXII. lin. 11. Gentre, *lege*, Gendre
Pag. XXIII lin. 27. nigro, *lege*, Nigro
Pag. eâdem lineâ ultimâ, & pag. XXIV. lineâ primâ, Herberhardo, *lege*, Heberhardo
Pag. XXIV. lin. 13. nomina, *lege*, nominant







